AUTHOR:

LEUE, GUSTAV

TITLE:

QUO TEMPORE ET QUO CONSILIO ORATIO

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1885

Master Negative #

91-80180-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Leue, Gustav, 1853-
Quo tempore et quo consilio oratio, quae inscribitur Περὶ τῶν πρὸς Ἀλέξανδρον συνθήκων, composita sit, dissertatio inauguralis ... quam scripsit ... Gustavus Leue, ... Halis Saxonum, 1885.
52 p. 22½ cm.

Thesis, Halle

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/13/91 INITIALS FR
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUO TEMPORE ET QUO CONSILIO

ORATIO, QUAE INSCRIBITUR ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ ΣΥΝΘΗΚΩΝ, COMPOSITA SIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ALMAE LITERARUM UNIVERSITATIS

FRIDERICIANAE HALENSIS

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATAE

RITE CAPESSENDOS

GUSTAVUS LEUE,

SAXO-BORUSSUS.

HALIS SAXONUM.

MDCCCLXXXV.

Parentibus optimis.

Orationem, quae de Alexandri Graecorumque foedere est, non a Demosthene compositam esse omnes viri docti consentiunt.[1]) De tempore vero quo facta sit valde inter se discrepant. Quod ut ostendamus, eorum, qui rem tractarunt, nomina sententiasque in brevi conspectu ponamus. Putant autem orationem compositam esse

I., anni 335[2]) aestate Boeneckius[3]), Grotius[4]), Spengelius[5]), Weilius[6]), Blassius[7]).
II., ann. 334 St. Croix[8]).
III., post annum 334 Clintonius[9]).
IV., anni 333 aestate J. G. Droysenius[10]).
V., anno 330 Arn. Schaeferus[11]).
VI., anno 324 A. G. Beckerus[12]).
VII., Aliquanto post annum 322 Jo. Windelius[13]) a rhetore quodam factam esse orationem censet.

Atque nos ipsi de tempore ad sententiam perducti sumus

---

[1]) J. Windel: de oratione, quae est inter Demosthenicas XVII. Leipz. 1832 p. 1—18.

[2]) Scholiastes censet orationem dictam esse ἐν ἀρχῇ τῆς κατὰ Ἀλέξανδρον καταστάσεως. 256,2. Idem sentit Reiskius. (Uebers. I 353 n., 368 n.)

[3]) Forschungen auf dem gebiete der att. redner I 2, 628.

[4]) Griech. Gesch. (Hoepfner) VI, 430.

[5]) Bayr. acad. IX, II. p. 315.

[6]) Les harangues de Dém. p. 464, 465.

[7]) III, 2 p. 122 et Bursiani annales XXX Vol. p. 243 et 244.

[8]) Exam. crit. des histor. d'Alex. p. 300, 3.

[9]) Epit. p. 253.

[10]) Gesch. d. hellen. 2. aufl. I 1. p. 242 n. 2.

[11]) III. 1. p. 191 et 192.

[12]) Demosth. p. 264.

[13]) L. l. p. 40.

ab illorum virorum doctorum sententiis diversam. Quam nobis hic copiosius persequi liceat.

Atque ita quidem de re disputabimus, ut quae viris doctis videntur deinceps afferamus, adumbremus, iudicemus eodem ordine, quo eorum nomina sententiasque in illa tabula perscripsimus.

Primum igitur videamus, quid sentiat

Boehneckius

ad cuius sententiam accedunt Grotius, Spengelius, Weilius, Blassius. Putat autem ille orationem aestate anni 335. habitam esse.

Nam Alexandrum ex Europa nondum discessisse, quum oratio haberetur. Oratorem enim, qui haec dicat[1]): οὕτω τοίνυν ῥᾳδίως τὰ ὅπλα ἐπήνεγκεν ὁ Μακεδών, ὥστ' οὐδὲ κατέθετο πώποτε, ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν ἔχων περιέρχεται καθ' ὅσον δύναται, illud Alexandri prius iter paullo post patris necem in Graeciam factum et bella in Thracum, Getarum, Triballorum, Agrianum, Paeonum, Jllyriorum finibus gesta significare.

Existimat igitur vir doctus Macedonem (ὁ Μακεδών) Alexandrum solum dici. Existimat praeterea illud ἐπήνεγκεν τὰ ὅπλα ad priorem eius in Graeciam expeditionem pertinere. Existimat denique verbis περιέρχεται καθ' ὅσον δύναται illas in barbaros incursiones describi ac verba quidem καθ' ὅσον δύναται de regionibus fieri, quas Alexander victor peragret.

Ac libenter concedimus, illis verbis fieri posse, ut talem vim subiciamus, si a ceteris orationis verbis disiunxerimus. Sed aliter quoque ea interpretari eodem nobis iure licet. Hoc quidem καθ' ὅσον δύναται cur non posse nisi ad illorum barbarorum agros referri censet? Quibus verbis si regiones designari suo iure dicit, nonne ea verba ita quoque interpretando explanare nobis licet, ut ad Asiaticas regiones ab Alexandro subactas pertinere dicamus? Vir doctus ipse causam, cur illud existimet, non affert. Id igitur unum nobis restat, ut ipsi videamus, quomodo tota illa sententia cum iis orationis verbis, quae ante eam, cum iisque verbis cohaereat, quae post eam extant.

Demonstrare autem orator sibi proposuit, nonnullas con-

[1]) p. 216 § 16 Df.

diciones foederis cum Graecis a Philippo anno 338 facti et ab Alexandro anno 336 redintegrati ab hoc eiusque assectatoribus neglectas esse. Quod cum aliis locis tum eo, de quo agitur, ita demonstrare studet, ut primum eam condicionem, quam a Macedonibus violatam esse putat, ad verbum, ut videtur, proferat, tum quibus rebus gestis Macedones in ea offenderint, exponat.

Atque foederis verbis urbes foederatae vetantur alia in aliam armorum vi (ὅπλα ἐπιφέρειν) exules reducere. Οὕτω τοίνυν ῥᾳδίως τὰ ὅπλα ἐπήνεγκεν ὁ Μακεδών i. e. hanc foederis condicionem non observans armorum vi exules reduxit, ὥστ' οὐδὲ κατέθετο πώποτε, ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν ἔχων περιέρχεται i. e. ut arma non modo nunqum posuerit, sed etiam nunc in manibus tenens exules restituat ac nunc quidem eo magis quam antea, quod aperte iussus est (ἐκ προστάγματος) istum puerorum magistrum Sicyonem aliosque alio reducere.[1])

Quem locum imprimisque illud περιέρχεται recte nos interpretatos esse, ipsa sententiarum ratione declaratur. Praeterea illis in barbaros expeditionibus, de quibus Boehneckius in verbo περιέρχεται explicando cogitat, omnino non violatum est foedus, quippe quod cum Graecis ab Alexandro factum esset, cum barbaris non item. Quodsi orator illas incursiones hoc loco commemoraret, hoc prorsus non valeret ad id, quod ille sibi proposuit, confirmandum. Ab eo igitur aut illae non significantur aut inepte proferuntur.

Praeterea non concedo Alexandrum solum verbo ὁ Μακεδών designari.

Orator enim ita pergit, ut haec verba faciat: . . . . οὐκοῦν . . . . ἔκσπονδοι ἡμῖν εἰσιν αὗται αἱ πόλεις αἱ ταῦτα διαπεπραγμέναι. Urbium igitur, non Alexandri auxilio exules identidem reducti sunt. Quod illa verba haec sententia sequitur: εἰ μὲν οὖν δεῖ ἐπικρύπτεσθαι τἀληθῆ, οὐδὲν δεῖ λέγειν, ὅτι εἰσὶν αἱ Μακεδονικαί, non eae urbes designantur, quae in Macedonia sitae erant, Aegae, Pella, aliae. Hae urbes non erant liberae, sed regis dicioni subiectae. Quodsi orator diceret, urbes Macedonicas i. e. in Macedonia sitas ur-

[1]) Schaeferus et Windelius idem significant (cf. Dem. III, 1 p. 191 ann. 5; de orat. p. 29.

bibus liberis Graeciae ad exules restituendos arma intulisse, non minus ridicule esset dictum quam si quis diceret, urbes Borussicas anno 1866. contra Austriam pugnasse. Quas autem urbes orator πόλεις Μακεδονικάς nominat, hoc acerbo nomine eo consilio appellat, ut cives earum[1]) cognoscant, quibus in rebus vere versentur. Sunt enim urbes, quae, quamquam in Graecia reapse sitae sint, tamen in Macedonia iam sitae et Macedonicae esse videantur, eae, in quibus factio Macedonica cum alia ratione tum ita summam potentiam obtinebat, ut praesidiis niteretur Philippo auctore[2]) post pugnam Chaeronensem introductis, Corinthus, Chalcis, aliae[3]). Has copias, quas aliis[4]) locis τὰ τοῦ τυράννου στρατόπεδα vocat, dicit orator per Graeciam vagari, quantum facere possint (καθ' ὅσον δύναται) neque vero vagari, quantum facere pro illa foederis condicione liceat, et in reducendis iis versari, qui ab adversariis ex urbibus Graecis in exilium eiecti sint. Alexander autem utrum dux illarum copiarum fuerit necne, ex hoc loco colligi non potest.

Quae quum ita sint, inde id conicere non licet, quod Boehneckio videtur.

Alterum autem argumentum hoc protulit. Thebae, inquit, eversae in oratione non commemorantur. Ex quo perspicuum est, orationem habitam esse, priusquam illa urbs deleta esset.

At argumentis a silentio petitis, quae ipsa infirma sunt, omnino nihil comprobatur, si causa afferri potest, cur scriptor silentium teneat. Ac sunt nobis eius modi res promptae.

Qui enim foedus Corinthiacum ab Alexandro neglectum esse demonstraturus est, insipienter ageret, si audientium ante oculos facta collocaret, ubi sine dubio non Alexander — tum enim interfectus esse dicebatur — sed adversarii eius i. e. oratoris amici ipsi idem illud foedus rupissent, insipienter ageret, si Thebarum excisarum mentionem faceret, quae propter idem illud foedus violatum incendio multatae sunt.

Praeterea in oratione nobis servata res exponuntur, ut

[1]) Quod quomodo fieri potuerit infra exponemus.

[2]) cf. quae exposuimus de his copiis socialibus in Philolog. vol. XLII. 4. p. 611—613.

[3]) Schaefer. III. 1. p. 48 ann. 4; Droys. p. 109 ann. 2.

[4]) 214 § 12; 218 § 25.

significavimus[1]), ad ius (τὸ δίκαιον) pertinentes. Atqui Alexander Thebis dirutis, etsi humanitatis leges neglexit, tamen foederis praecepta non neglexit. His contra id sancitum erat[2]), ut qui condiciones non observassent et ipsi in hostium numero referrentur et agri pro hostilibus haberentur. Thebae igitur iure multatae sunt. Sequitur Thebarum excisarum commemorationem ab huius orationis argumento abhorrere; aptius autem forsitan in eas quadret orationes, quae de rebus fuerint ad audientium animos ira studioque incendendos idoneis.

Duae igitur sunt res, quas considerantibus nobis illud silentium non mirum videatur: Thebas dirutas orator commemorare non potuit, quia alienum erat et a consiliis oratoris amicorumque et ab argumento orationis.

Proximum est, ut quod Boehneckius[3]) adumbravit, Spengelius[4]) diligentius ad illius sententiam confirmandam enuntiavit argumentum tertium, quale sit, consideremus. Atque hic credibile esse negat, quemquam Thebis dirutis et Alexandro in Asia bella gerente in contionibus Atheniensium extitisse, in quo tanta in contionando et tam perspicua esset audacia, quantam in hoc oratore esse appareret.

Atque gravissimis quibusdam contra Alexandrum eiusque amicos verbis orator in contione utitur. Amicos autem Macedonum ab oratore omnibus maledictis vexari, minus mirum est. Quo enim tempore pro suggestis Atheniensium non factum est, ut oratores alius alium verbis contumeliosis persequerentur? Nonne Aeschines in Demosthenem et Demosthenes eodem tempore in Aeschinem probra iecit? Foederatae civitatis regem[5]) ab oratore obiurgari, hoc est mirum. Ubi talia convicia foederatae civitati fiunt, ibi animos civium ita commotos esse unusquisque recte conicit, ut mox bellum exorturum esse videatur; atque re vera hic orator aliquid postulat, quod ad bellum Macedonibus inferendum spectat, quamquam

[1]) p. p. 4. 5.

[2]) p. 213 § 6; p. 214 § 10; p. 217 § 19.

[3]) l. l. p. 629.

[4]) l. l. p. 315.

[5]) tyrannus saepe vocatur.

in postulando ea prudentia et cautione utitur ut non aperte[1]) bellum postulet et praeterea per totam orationem civibus suadet, ut foedus Philippo auctore post pugnam Chaeronensem inter Graecos factum servent Macedonibusque propter hoc foedus ab iis violatum bellum indicant. Atque ipsi cum Spengelio negamus, Athenienses post Thebas dirutas[2]) tantopere concitatos fuisse. Nihilominus Spengelio non id concedimus, orationem ante Thebas dirutas habitam esse. Quod cur nobis dicere liceat, infra[3]) uberius exponemus. Quae autem a Weilio et Blassio ad ea, quae Boehneckio videntur, sustentanda afferuntur, a nobis aptius, cum ad aliorum virorum doctorum iudicia refutanda spectent, iis commemorabuntur locis[4]) ubi ipsi illa iudicia inspiciemus.

Nunc videamus, quid sentiat

St. Croix.

Qui orationem anno 334 paullo ante Halicarnassi expugnationem esse habitam putat.[5]) Tenedum enim insulam tum, quum contio haberetur, in Macedonum potestate fuisse. Atque hoc inde concludendum esse existimat, quod orator, εἰς τοῦτο, inquit[6]), ὑπεροψίας ἦλθον [οἱ Μακεδόνες] ὥστε εἰς Τένεδον ἅπαντα τὰ ἐκ τοῦ Πόντου πλοῖα κατήγαγον. Quod illos facere non potuisse, nisi tum insula eorum fuisset, sine dubitatione concedimus. At quomodo orator pergit? Καὶ σκευωρούμενοι περὶ αὐτὰ οὐ πρότερον ἀφεῖσαν, πρὶν ὑμεῖς ἐψηφίσασθε τριήρεις ἑκατὸν πληροῦν qu. sequ. Ex quo perspicuum est, tum, quum hic contionaretur, naves a Macedonibus non iam retentas esse. Nescimus igitur, utrum etiam tum insula ab illis steterit, necne. Id unum constat, tum eam antea aliquando in illorum potestatem cecidisse neque hanc orationem prius dictam esse quam insula Alexandri temporibus aliquando illorum partes secuta esset. Sed ne hoc quidem multum nobis utilitatis affert. Nescimus enim, quo tempore illa

[1]) vid. infr.
[2]) ante Alexandri mortem.
[3]) p. p. 10 sequ.
[4]) Exam. crit. des histor. p. 300 ann. 3.
[5]) p. 217 § 20.

insula studere Macedonibus coeperit. Quod iam Philippo Alexandri patre regnante factum esse, est quod putemus. Veri enim est simile illius insulae cives ad Macedonum amicitiam fidemque tum se applicavisse, quum classis a Philippo in Asiam, ut ait Justinus[1]), praemissa esset. Alexandri autem amici illi semper videntur fuisse. Arrianus[2]) quidem auctor est, eos, quum aliquando (anno 333) in Persarum potestatem incidissent, non sua ipsorum voluntate retentos, sed metu magnae Persarum classis impeditos esse, ne ad Macedones deficerent. Quid multa? Inde a Philippi temporibus semper, quod quidem notum sit, Tenedii Macedonibus faverunt. Ergo inde a Philippi temporibus semper, quod quidem notum sit, excepto illo parvo temporis spatio, quo in Persarum dicione Tenedii erant, fieri potuit, ut in illius insulae portus naves a Macedonibus ducerentur. Ergo non est, cur putemus hoc eo ipso tempore factum esse, quo Macedones Halicarnassum oppugnaturi essent.

At enim St. Croix videtur existimare, fieri non potuisse, ut Macedones naves onerarias in Tenedi portus vehi cogerent, nisi classe usi essent. Quam Alexandrum paullo ante Halicarnassi oppugnationem dimisisse.

Fateor, illud Macedones sine navibus bellicis efficere non potuisse. Verum tamen Alexander classe autumno anni 334 dimissa alteram anno 333 coëgit[3]). Quod priore classe, non minus id posteriore facere poterat. Itaque non est, cur credamus, nautas autumno anni 334 paullo ante Halicarnassum oppugnatam in Tenedi portus navigasse. Eodem nobis iure dicere licet, hoc anno 333 vel postea factum esse.

Et si sciremus, quo tempore naves Tenedum venissent, tamen nondum sciremus, quo tempore oratio habita esset. Id unum constaret, oratorem post illam rem gestam verba fecisse, sed id ignoraremus, quot diebus vel mensibus vel annis post illam rem gestam orator contionatus esset.

[1]) IX 35. Trog. Pomp. prol. IX.
[2]) ed Abicht II, 2. 3.
[3]) Droysen. I, 1. p. 241.

Argumento igitur, quod St. Croix protulit, omnino nihil demonstratur. Neque ostenditur, quo tempore nautae Tenedum vecti sint, neque probatur, quanto temporis spatio post oratio ipsa habita sit.

Deinceps videndum est, quae de re nobis proposita

Clintonius[1]

dixerit. Qui censet hanc contionem post annum 334 dictam esse. Quod A. Schaeferus[2]) probat. Macedones enim tum, quum oratio haberetur, multum navibus valuisse. Idem argumentum Windelius affert[3]). F. Blassius vero repugnat[4]).

Atque illi quidem haec oratoris verba ascribunt: ὃ — Macedones navibus vim attulisse — παρ' ἐλάχιστον ἐποίησεν αὐτοὺς [Macedones] ἀφαιρεθῆναι δικαίως τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν. Inde coniciunt omnes illi viri docti Macedones τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν tum habuisse, quum nautae Tenedum vehi cogerentur. Recte, sine dubio. Orator autem pergit: καὶ νῦν ἔτι παραδεδώκασι τοῦτο τὸ δίκαιον ἀνεγκλήτως ἡμῖν . . . . οὐ γὰρ ὅτι ἐπαύσαντο ἐξαμαρτάνοντες ἧττόν τι δήπου παραβεβήκασι τὰς κοινὰς ὁμολογίας.

Apparet igitur, Macedones tum quoque, quum orator verba faceret, τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν possedisse. Qualis autem erat illa ἡ κατὰ θάλατταν ἡγεμονία? Clintonius, Schaeferus, Windelius de maiore Macedonicarum navium numero cogitant, F. Blassius vero id ius dominationis designari censet, quod Macedonibus foedere Corinthiaco datum sit. Multis autem tum navibus usos esse Macedones negat. Oratorem enim dicere[5]) ἕως γὰρ ἂν ἐξῇ τῶν κατὰ θάλατταν καὶ μόνοις ἀναμφισβητήτως εἶναι κυρίοις. Apparere igitur, Athenienses tum rebus maritimis plus valuisse quam Macedones.

Atque hoc quidem negari non potest, Macedones tum non tot navibus usos esse, quot Athenienses armare poterant. Po-

---

[1]) Fasti H. II App. p. 360 tab. (Oxf. 1827); Epitome of the civil and literary chron. of Greece p. 253 (Oxf. 1851.)

[2]) III, 1. 192.

[3]) p. 30.

[4]) p. 122.

[5]) p. 218 § 25.

terant autem instruere Athenienses[1]) trecentas fere tum et nonaginta naves longas. Tot igitur tum sine dubio naves Macedones neque habebant neque ornare poterant. Dixit enim orator, Atheniensibus licere, si classem armavissent, μόνοις ἀναμφισβητήτως dominis maris esse, i. e. dubium non esse, quin nulla civitas maritima Atheniensibus, si naves ascendissent, solis resistere posset, neque Persae neque Macedones. Accuratius autem nihil de numero navium Macedonicarum scimus. Ignoramus igitur, utrum tum Persis pares fuerint i. e. utrum tum, ut ait Windelius, in mari Aegaeo dominati sint necne. Quod Windelius negat, quidquam obstare, quominus illis temporibus, quibus Athenienses quieti domi essent, Macedones navibus suis dominos maris fuisse existimemus, ipsi Windelio concedimus nihil obstare, at nobis concedat Windelius, illud nulla re comprobari. Verbis quidem τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν illud non demonstratur. Quae verba — id cum Blassio consentimus — sine dubio ad ius pertinent.

Atque Windelius ipse hoc Blassio concedit, in foederis Corinthiaci tabulis haec verba fuisse στρατηγὸν εἶναι τὸν 'Αλέξανδρον κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν. Sed haec verba referenda esse ad bellum contra Persas suscipiendum i. e. Alexandrum ducem esse earum copiarum et navium, quas mittere foedere coacti essent Graeci. Recte sine dubio. Jam ita pergit: itaque nemo inquit, verba (ἡ κατὰ θάλατταν ἡγεμονία) ad fictum illum principatum, cui res non respondebat, refert.

At quando res non respondebat? Tum quum copiae et naves ad bellum suscipiendum nondum collectae essent. Quum vero bellum ortum esset, Alexander summi imperatoris non solum nomine usus est, sed etiam potestate. Windelii igitur verba ad Blassii sententiam, quippe qui orationem ante bellum Persicum habitam esse existimet, impugnandam idonea sunt, ad sententiam eorum, qui contionem ipsis belli temporibus habitam esse putant, non item. Hoc igitur argumento illud non infirmatur, quod supra diximus, verbis ἡ κατὰ θάλατταν ἡγεμονία ius dominationis significari.

---

[1]) Boeckh, Staatsh. 3. 79.

Jam nostra argumenta proferre liceat.

Atque primum quidem nobiscum reputemus, universam orationem de iure esse (τὸ δίκαιον). Veri igitur est simile hic quoque in verbis ἡ κατὰ θάλατταν ἡγεμονία interpretandis de iure cogitandum esse.

Praeterea orator: foederis, inquit, violatio paene effecit, ut Macedones principatu maritimo privarentur. Civitatibus autem, quae foedus violaverant, id prius accidebat, ut foederis et societate et omni iure spoliarentur. Prius igitur id foederis violatione factum esset, ut Macedones foederis hostes declarati cum alia foederis iura tum illud ius imperii maritimi amitterent. Atque haec prior res facta esset non armorum vi, sed, ut orator aperte dicit, juste (δικαίως). Verba igitur τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν interpretantibus nobis hoc prius succurrit, iis ius significari in foedere positum, praesertim quum orator ipse verbum δικαίως addat.

Atque oratorem ipsum non de ea re, quae postea ex foederis violatione forsitan oritura sit, de victoria Atheniensium, cogitare, inde apparet, quod ita pergit: καὶ νῦν ἔτι παραδεδώκασι τοῦτο τὸ δίκαιον i. e. vel hoc dominationis maritimae ius ipsum (dieses recht scl. τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν) nobis tradiderunt vel[1]) ius huius dominationis iis eripiendae (das recht hierzu scl. ἀφαιρεῖσθαι τὴν ἡγεμονίαν) nobis tradiderunt. Atque illa quidem interpretatio ipsa demonstraret, Blassii nostramque sententiam recte se habere; haec autem interpretatio ostendit, scriptorem hoc quoque loco ius significare.

Quae quum ita sint, multo verisimilius est, scriptorem verbis τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν ius dominationis quam ipsam dominationem dicere.

Praeterea Windelius ad illam sententiam confirmandam negat Alexandrum ausurum fuisse Athenienses lacessere, nisi tum[2]) revera maris dominus fuisset. Quae Windelii verba ita explicanda sunt: Alexander non ausus esset Athenienses lacessere, nisi tum plus valuisset quam Persae.[3])

[1]) Scriptor consulto, ut videtur, in medio reliquit.
[2]) Autumno 333.
[3]) Centum naves suffecissent ad Macedones superandos § 20 p. 217.

At hoc argumentum optime se haberet, si dixisset, id quod dicere non poterat, Alexandrum non ausurum fuisse Athenienses lacessere, nisi tum plus valuisset quam ipsi Athenienses. Parvam vero vim habet quod dicit: nisi plus valuisset quam Persae.

Jam quicunque ante nos de hac re scripserunt id fere omnes consentiunt (atque nobis[1]) idem videtur), naves onerarias Tenedum a Macedonibus eo consilio ductas esse, ut in bello adhiberentur.

Quid igitur? Si Macedones tum habuissent tot naves, ut Persae iis resistere non possent, i. e. si revera tum in mari dominati essent, — cur tandem naves onerarias Tenedum duxerunt? cur tandem Atheniensium populum lacessiverunt? Non satis magnam tum classem habebant, si existimabant, auxilium navium sibi opus esse ad Persas superandos onerariarum. Itaque ne hoc quidem Windelii argumentum ad Clintonii et Schaeferi sententiam confirmandam quidquam confert neque eo probatur orationem post annum 334 conscriptam esse. Neque vero id negamus orationem post annum 334 compositam esse, sed id negamus, hoc illis confirmari argumentis.

Sequitur id, quod

Droysenio

videtur, contionem anni 333 aestate habitam esse. Qui argumentum inde sumit, quod ab oratore commemorantur tyranni Lesbiaci anno 334 expulsi. Quicunque autem orationem anni 335 autumno habitam esse putant, ante hoc tempus tyrannos expulsos esse existimant[2]). Atque ut cognoscamus, utrum hi an ille verum viderint, oratoris ipsius verba quam diligentissime excutiamus. Demonstraturus[3]) igitur Alexandrum Philiadae filiis Messenam reductis foedus fregisse, Alexandri amicos contra dicentes facit, illos tyrannos propterea a rege Macedonum restitutos esse, quod ante foedus Corinthi factum tyranni fuissent. Jam ipse respondet: ἀλλὰ καταγέλαστος ὁ λόγος τοὺς μὲν ἐκ

[1]) Qua de re infra uberius disputabimus.
[2]) F. Blassius l. l. Weil § 7.
[3]) p. 213 § 7.

Λέσβου τυράννους, οἷον ἐξ Ἀντίσσης καὶ Ἐρέσου, ἐκβαλεῖν, ὡς ἀδικήματος ὄντος τοῦ πολιτεύματος, τοὺς πρὸ τῶν ὁμολογιῶν τυραννήσαντας, ἐν δὲ Μεσσήνῃ seqq.

Quae verba ut recte intellegamus, haec nobiscum reputemus: Pace Antalcidae (ann. 387) sanctum erat, ut Asiae Cyprique urbes et Clazomenae urbs regis Persarum, Lemnus, Imbrus, Scyrus insulae Atheniensium essent, ceterae autem urbes liberae essent. Quam pacem qui non accepissent, iis regem Persarum bellum illaturum esse una cum iis, qui pacis participes essent. Ita Persarum rex dominus totius Asiae factus est. Persarum classis in Joniae et Cariae oris dominabatur. Qui autem oras portusque et armorum naviumque armamentaria in oris sita tenebat, is metuendum erat ne insulas prope Asiam in mari Aegaeo sitas suo imperio subiceret. Quod eo magis timendum erat, quod insulae urbesque Antalcidae pace vetitae erant inter se foedus ferire[1]). Ita factum est, ut a Persis tuti esse non possent. Hi autem ad suam in urbibus insularum potentiam augendam effecerunt, ut factiones ibi existerent ipsis amicae, easque omni ratione adiuvabant. Quinquaginta fere annis post Antalcidae pacem factam Macedones contra Persas bellum paraverunt, illa pace sublata omnes Graecos foedere Corinthi facto coniunxerunt et insulas urbesque Asiae concitaverunt, ut tabulis illius pacis eversis foederis Corinthiaci participes fierent. Persae contra studuerunt cives commovere, ut in illa pace manerent. Quibus in studiis per se intellegitur contentiones et in aliis urbibus Asiae insularumque prope Asiam sitarum et in oppidis Lesbiacis inter Macedonum Persarumque amicos ortas esse, et partium duces cum divitiis eloquentiaque tum auxilio alteros Macedonum alteros Persarum praepollentes extitisse, se invicem contumeliis criminibusque petivisse hoc, inquam, per se intellegitur. Itaque quum omni genere conviciorum uterentur, fieri poterat, ut tyranni appellarentur. In Graecia quidem Philiadae filiis, ut supra vidimus, tyrannorum nomen, Graecis invidiosum, imponitur. Polybius[2])

---

[1]) E. Curtius: Griech. gesch. III p. 205 et 209.
[2]) XVII. 14.

autem eos neque satellitibus usos esse nec crudeliter se gessisse testis est gravissimus. Tyranni igitur propter id unum ab adversariis vocabantur, quod non idem sentiebant. Itaque si quis tum ab adversariis tyrannus appellabatur, non est, cur existimemus eum tyrannum fuisse; veri autem est simile eum fuisse divitiis et eloquentia et ingenio et auxilio sive Macedonum sive Persarum praeter ceteros florentem. Quamquam facile concedo tum in bello, modo Persas modo Macedones praesidiis per singulas insulas urbesque dispositis illos cives vel praefecisse vel copiis adiuvisse[1]). Quod Eresi factum esse titulis ibi repertis luculentissime demonstratur[2]).

Jam ut ad illa oratoris verba redeamus, tyrannos, qui Ereso Antissaque expulsi sunt, ante civium et Alexandri Graecorumque foedus in suos dominatos esse constat. Sed num foederis tempore aliquamdiu dominati sint, nescimus. Nescimus igitur, utrum ante foedus factum expulsi sint necne. Videntur autem ante foedus factum expulsi esse, quandoquidem expulsi sunt propterea, quod adversarii Macedonum foederisque Corinthiaci erant. Quaeritur igitur, quo tempore cives Eresi Antissaeque foedus cum Macedonibus Graecisque inierint.

Accepimus,[3]) a Philippo classem copiasque anno fere 337 in Asiam praemissas esse. Atque exercitus quidem usque ad urbem Magnesiam fere progressus est[4]). Classis autem quem ad locum venerit, nescimus. Sed eam usque ad Lesbum insulam pervenisse, J. Windelio[5]) concedimus. Quodsi eo provecta est, sine dubio classiarii eos expulerunt vel de dignitatis gradu demoverunt, quos, quia Persarum auxilio adiuti erant, tyrannos vocabant ad civium in eos odium excitandum; deinde Eresios Antissaeosque commoverunt, ut foederis a Graecis Macedonibusque Corinthi facti participes fierent.

---

[1]) Arrian. II, 1. 5.
[2]) Windel. l. l. p. p. 21. 22. Qui ibi λῃσταί ab adversariis vocantur, sunt Persarum milites.
[3]) Arrian. II, 14, 2; Diod. XVI, 91; XVII, 5; Justin. IX, 35; Trog. Pomp. prol. IX.
[4]) Polyaen. V, 44.
[5]) l. l. p. p. 26 et 27.

Paullo autem post nuntius de Philippi caede, de Graecorum rebellione, de Attali in Asia seditione allatus est, et Eresii Antissaeique certiores facti sunt, regnum in Macedonia hominem adeptum esse adulescentulum. Ille autem exercitus ex Asia in Hellespontum rediit, atque veri est simile, eodem revectam esse classem. His rebus factionis Macedonicae auctoritas in urbibus Lesbiacis imminuta est, aucta potentia eorum, qui Persas sequebantur, atque tum tyranni, si modo expulsi erant, reducti sunt vel alii tyranni extiterunt.

Vere autem anni 334 classis Alexandri Lesbo appropinquat et haud multo post ab Alexandro Alcimachus mittitur, qui ex urbibus Jonicis et Aeolicis tyrannos expellat. Tum tyranni Lesbiaci ex patria discedere coguntur.

Quum autem Alexander suam classem autumno eiusdem anni Mileti dimittere coactus, Persarumque ingens quadringentarum navium classis in mare Aegaeum invecta esset et Eresum Antissamque venisset, amici Persarum denuo summam apud suos auctoritatem adepti sunt i. e. denuo tyranni extiterunt.

Deinde anno fere post Macedones tertium superiores discedunt, et Persas e mari Aegaeo pellunt. Quo factum est, ut illorum partes summa auctoritate florerent. Eorum vero duces, qui a Persis steterant, i. e. illi tyranni capti Alexandroque traditi sunt. Qui iussit eos ad cives duci ab hisque in ius vocari. A civibus autem gravissimo supplicio affecti sunt (anno 333 exeunte vel 332 ineunte.)

Rerum igitur in Lesbi urbibus gestarum ordo hic videtur esse:

I. 337: tyranni expelluntur a Philippi ducibus; foedus fit.
II. 336: tyranni existunt.
III. 334 vere: tyranni expelluntur ab Alexandri ducibus. Foedus fit.
IV. 334 autumno: tyranni existunt.
V. 333 exeunte vel 332 ineunte: tyranni capiuntur et ad Alexandrum in Aegyptum ducuntur; tum cives ab eo iubentur tyrannos in ius vocare; tyranni interficiuntur. Foedus fit.

Jam quaeritur, utrum orator verbo ἐκβαλεῖν exilium anni 337 (I.), an anni 334 (III.), an anni 333/2 (V.) significet.

Atque H. Weilio et iis, qui orationem ante Thebas dirutas habitam esse putant, videtur id exilium ab oratore significari, quo tyranni anno 337 affecti sint (I.). Non aperte ii quidem hoc dicunt, sed anno 336 exeunte vel anno 335 ineunte i. e. prioribus Alexandri annis tyrannos expulsos esse omnino non potest cogitari; tum enim Macedonum in illis regionibus auctoritas vehementissime imminuta erat, et si tum tyranni nondum expulsi erant, tum certe expelli non poterant, sed denuo extitisse videntur tyranni (II.).

Droysenio exilium anni 334 (III.), Windelio exilium vel anni 334 (III.) vel anni 334 et anni 333/2 (III. et V.) significari videtur.

Atque illa Weilii sententia (I.) propterea non probanda videtur esse, quod tyranni 337 non ab Alexandro, sed a Philippo expulsi sunt; orator autem hoc loco eum, qui foedus violavit, non Macedonem (ὁ Μακεδών), ut omnibus aliis locis, vocat, sed Alexandrum ipsum nominat; Alexandrum Messenam reduxisse Philiadae filios et huic rei ab eo gestae contrariam esse illam in Lesbi urbibus gestam ἐκβαλεῖν τοὺς τυράννους.

Nisi igitur forte putabimus oratorem Alexandro crimini dare res a Philippo gestas, concedendum est, oratorem verbo ἐκβαλεῖν exilium significare, quo tyranni Alexandri temporibus (vel anno 334 vel anno 333/2) affecti sint (vel III. vel V.) Dignoscere autem, utrum III. an V. orator significet, difficillimum est.

De tyrannis autem expulsis extant tituli a Conzio et Kieperto Eresi reperti. Quos uberrime interpretati sunt Sauppius[1]), Kirchhoffius, Droysenius[2]), Windelius[3]). Quam brevissime igitur disputare mihi liceat, praesertim quum id unum quaeramus, quo tempore tyranni eiecti sint. Non multum ex illis titulis de hac re utilitatis redundat. Neque enim tabulae manifeste docent, quo tempore hi tyranni expulsi sint, neque, si constaret, sciremus, utrum III. an V. orator significet. Atque nos hanc quaestionem subimus, ut demonstremus, quam incerta res sit.

[1]) Commentatio de duabus inscript. Gotting. 1870.
[2]) Gesch. d. Hellen.; Diad. Anhang p. 363; Kirchhoffius: ibidem.
[3]) l. l. p. p. 21—28.

Commemorantur autem in titulis duo genera tyrannorum. Alteri nominantur οἱ πρότερον τυραννήσαντες[1]), alteri Agonippus et Erysilaus[2]). Atque primum quidem de illis dicemus. De quibus hoc traditur: filii nepotesve eorum, quum ad Alexandrum venissent, ei dixerunt, Eresiis se satisfacturos esse. Tum Alexander διαγραφαν[3]) misit, in qua ex Eresiis quaesivit, utrum tyrannorum illorum posteris redire permitterent, necne.

Quod quo tempore factum sit, nescimus. Est autem quod putemus, tyrannorum posteros tum ad Alexandrum se contulisse, quum vidissent, non iam dubium esse, utrum penes Alexandrum an penes Dareum arbitrium cum maris Aegaei tum rerum Eresiarum esset i. e. quum Hegelochus Alexandri imperator Persarum classe ex mari Aegaeo expulsa ad Alexandrum in Aegyptum venisset (anno 332.)

Agitur hic de posteris tyrannorum. Hi autem ipsi utrum etiam vixerint neque ausi sint metu perterriti ad Alexandrum venire, an tum iam mortui sint, dubium est. Jidem nescimus, quo tempore multum apud suos auctoritate valuerint. Neque id nobis magnam utilitatem affert, quod Plutarchus[4]) tradit, Ereso bis a Theophrasto eiectos esse tyrannos. Nam ne ab illo quidem narratur, quo tempore expulsi sint. Quamquam annus, quo Theophrastus natus est, nos cum Sauppio putare cogit, tyrannos postremis Philippi temporibus vel Alexandro regnante patria privatos esse. Sunt autem illi tyranni, quorum in titulis mentio fit, Hermo, Heraeus, Apollodorus. Atque concedimus, recte se habere, quod Droysenius[5]) et Windelius[6]) argute coniecerunt, Apollodorum post Hermonem et Heraeum summa apud suos auctoritate usum esse. Sed quo tempore tyrannus factus sit Apollodorus, ipsum quoque ignoramus. Expulsus esse videtur Windelio anno 337; utrum

---

1) I, 35.
2) IV, 12, 14, 15.
3) I 32—41, IV 35.
4) adv. Coloten p. 1126. F.
5) l. l. p. 372.
6) l. l. p. 26.

autem anno 336 reductus et vere anni 334 denuo eiectus sit, an anno 336 alius tyrannus — id quod Windelius existimat — extiterit, an anno 337 Heraeus exilio affectus et anno 336 Apollodorus tyrannus factus annique 334 vere potentia privatus sit — dubium est[1])

Jam ad alteros tyrannos venio, Agonippum et Erysilaum. Quorum causa videtur quodammodo coniuncta fuisse. Eresii enim, in latere postico eiusdem lapidis, quaecunque de tyrannis acta sunt, comprehendentes, haec perscripserunt.

Alexander διαγραφαν[2]) (non διαγραφας) misit Eresiis imperans, ut Agonippum et Erysilaum reos facerent. Atque Eresii convocarunt iudices (δικαστήριον[3]) non δικαστήρια) qui sententiam tulerunt, Agonippum et Erysilaum morte multandos esse.

Quae verba inspicientibus nobis videntur tyranni eodem tempore in ius vocati esse. Accusati autem sunt vere (vel aestate) anni 334 aut anno 332 aut, quoniam cogitari potest, eos anno 332 expulsos, non captos esse, intra annos 332 et 329, ubi omnes Persarum amici et Graeci et ii, qui in Creta insula versabantur, oppressi sunt. De anno 337 non est, quod cogitemus; tum enim Alexander nondum regnavit, et annis, qui annum 329 insequuntur, ii capitis damnati esse propterea non videntur, quia non est, cur putemus, diu sub iudicibus litem fuisse.

Atque de Agonippo quidem tituli haec docent[4]).

Quum urbs obsideretur, Agonippus urbe relicta ad Persas perfugit[5]), viginti milia staterum a civibus exegit, Graecos (τοις Ελλανας) diripuit, praeterea aras Jovis (quod huic datur cognomen detritum est) evertit et dixit bellum in Alexandrum suscipiendum esse, civibus arma eripuit eosque moenibus exclusit omnes uxoribus autem et filiabus captis et in arcem introductis tria milia staterum et ducentos exegit, urbem et templa expilata

---

1) Qua de re infr. p. 26 uberius disputabimus.
2) IV, 10.
3) IV, 14.
4) I, 1—15.
5) Kirchhoffius optime verba restituit ἀπολιπων αὐτομολησε.

cum praedonibus incendit, corpora civium combussit, postremo ad Alexandrum profectus, mentitus civesque calumniatus est.

In quibus hoc tenendum est, ab adversariis haec conscripta esse; nam fuisse in urbe, qui haec non ita iudicanda esse existimarent, inde apparet, quod erant, qui capitis eum absolverent[1]). Praeterea id memoria teneamus, haec in bello facta esse. Facillime autem omnia ita explicari possunt.

Quum obsessione facta urbs in manus Persarum venisset, Persarum dux tributum eam pendere iussit[2]), Agonippo, homini Persis fortasse iam antea clam amico, divitiis praepollenti (τὰ ὑπάρχοντα commemorantur[3],) id mandavit, ut pecuniam exigeret imprimisque efficeret, ut cives pro suis quisque opibus pecuniam solverent, praesidiumque arci imposuit (nominantur milites οἱ λαισταὶ praedones ab adversariis[4].) Praeterea aras tabulasque de civium cum Alexandro Graecisque foedere positas evertit. — Quae postea narrantur tum facta sunt, quum Macedonum classe adventante ii cives animum receperunt, qui Macedones sequebantur. Agonippus autem intellexit, periculosum fore, si his civibus permisisset in urbe manere. Propterea eos[5]) urbe egredi coegit. Ut vero impediret, quominus cum Macedonibus coniuncti urbem aggrederentur et ut pecuniam ad stipendium militibus solvendum exigeret, uxores illorum civium filiasque retinuit in arce obsides. Quum autem urbs a Macedonibus oppugnaretur, Agonippus iique, qui praesidio erant, urbem ipsam, quum defendi non posse intellexissent, rebus pretiosissimis ex domibus templisque in arcem collatis reliquerunt in arcemque se contulerunt. Macedones tum arcem oppugnaverunt. Quibus in proeliis factum est, ut pars urbis incenderetur. Arx deinde expugnata est. Agonippus autem, utrum iam tum captus et postea[6]) ad Alexandrum ductus sit, an tum

---

1) I, 31, 32.

2) de rebus eodem modo Mitylenis gestis: Arr. II, 1. 5.

3) I. 22, IV. 17.

4) I. 12.

5) Πανδαμι (non πάντας) dicunt adversarii callidissime, significantes, eos cives, qui a Persis stetissent, τοῦ δήμου non participes fuisse.

6) verbum τὸ τελευταῖον (I, 13, 14) videtur significare aliquantum temporis spatium interesse inter illas res ab Agonippo gestas et inter Alexandri cum eo colloquium Eresiorumque plebiscitum.

quidem effugerit, postea vero sive captus sive sua sponte ad Alexandrum venerit, nescimus. Nescimus praeterea, utrum illae res inde ab anno 336 usque ad 334, an inde ab anno 334 usque ad 332 gestae sint.

Jam vero alter lapis a Kieperto Eresi inventus est[1]). Atque in hoc marmore eadem fere perscripta extant, quae in parte illius de Agonippo enarrata leguntur. Nomen vero eius, de quo agitur, detritum est. Uterque autem lapis et is, quem Kiepertus, et is, quem Conzius repperit, fragmentum est eiusdem lapidis[2]). Jam viri docti inter se disputant, utrum in eo quoque fragmento, quod Kiepertus invenit, illae eaedem res ab Agonippo gestae enarrentur an Erysilai nomen supplendum sit, cuius causam cum Agonippea quodammodo coniunctam fuisse supra diximus[3]). Atque Sauppius[4]) et Droysenius[5]) illud, Windelius[6]) et Blassius[7]) hoc existimant. Nos autem ad Windelii sententiam accedimus argumentis confirmatam. Quibus hoc addimus. Si[8]) in linea 23 lapidis a Kieperto reperti ante Ω duae literae desiderantur, verisimilius est, ibi nomen Ἐρυσιλάω perscriptum fuisse; verba enim in hoc titulo ita divisa leguntur, ut unaquaeque linea a prima syllabae litera incipiat. Quodsi ibi verbum 'Αγωνι | ππω insculptum esset, illa linea a ππω initium caperet. Recte autem se habet, si nomen ibi scriptum legitur Ερυσι | λαω. Jam enim primae literae lineae tota syllaba λα sunt. — Praeterea si Kirchhoffium sequeremur, Erysilai causam ante Agonippeam perscriptam fuisse diceremus. Atqui Agonippus semper ante Erysilaum nominatur[9]) (Αγωνιππω και Ερυσιλαω, 'Αγωνιππομ μεν και Ερυσιλαον). Ergo veri est similius, in causis perscribendis eundem ordinem esse servatum.

---

1) Corp. insc. Graec. vol. II, p. 1023n.2166 b.

2) Kirchhoffius l. l. p. 364.

3) p. 19.

4) l. l. p. p. 20 sequ.

5) l. l. p. p. 370, 371.

6) l. l. p. p. 24.

7) Annal. Burs. XXX. p. 244.

8) Windel. p. 24; in Sauppii dissertatione videtur una litera deesse; in Droys. lib. duae literae.

9) IV. 13. 14. 15.

Omnium autem rerum in titulis perscriptarum ordinem Windelius optime ita restituit[1]):

1. Exilium priorum tyrannorum.
2. Lex contra tyrannos sancta.
3. Causa Agonippi.
4. Plebiscitum de tyrannorum priorum posteris, qui ad Alexandrum venerant.
5. Causa Erysilai.
6. Edictum Philippi Arrhidaei.
7. Litterae Antigoni Unoculi.
8. Plebiscitum Eresiorum, quod singulos titulos comprehendit.

Atque eodem ordine hae res perscriptae sunt, quo erant gestae. Videmus igitur

3.) Agonippum in ius vocatum esse, tum

4.) plebiscitum de tyrannorum posteris factum, tum

5.) Erysilaum capitis accusatum esse.

Constat igitur, Erysilaum non eodem tempore condemnatum esse Eresi, quo Agonippum, sed post eum; Ergo Agonippi nomen non propterea cum nomine Erysilai coniunctum est,[2]) quod eodem tempore rei facti sint. Atque quod in illo plebiscito (8), quod singulos titulos comprehendit, scriptum legimus, Eresios Alexandri epistula accepta iudices (διχαστηριον) convocasse, qui utrumque tyrannum capitis damnassent, hoc non satis diligenter perscriptum est, quoniam Eresii non διχαστήριον, sed διχαστήρια[3]) convocaverunt. Quamquam hoc non mirum est, quoniam illud plebiscitum quasi illas res antea uberius enarratas paucis complectitur.

Inter utrumque lapidem, ut supra[4]) diximus, de rebus ab Agonippo et de rebus ab Erysilao gestis consensio est. Quae autem in Agonippi titulo de urbe obsessa, de tyranno transfuga, de bello in Alexandrum suscipiendo commemorantur, in

---

[1]) p. 24. 25.

[2]) supr. p. 19.

[3]) Cogitari autem potest, eosdem de eadem re iudices bis convocatos esse.

[4]) p. 21.

Erysilai tabula propterea non extant, quod huius tituli pars periit. Restant haec:

Erysilaus civibus arma eripuit, eos omnes ex urbe expulit, uxoribus filiabusque captis et in arcem introductis duo milia staterum et ducentos exegit, urbem et templa expilata cum praedonibus incendit civiumque corpora combussit.

Discrepant igitur tabulae ita: Agonippus tria milia staterum et ducentos, Erysilaus duo milia et ducentos exegit. Praeterea Agonippus ad Alexandrum venit civesque calumniatus est, de Erysilao hoc non traditur.

Omnium ceterarum rerum summa consensio est.

Windelius summam vim illis duabus rebus disparibus tribuens, Agonippum et Erysilaum eodem tempore dominatos esse negat, illam autem consensionem ita interpretari conatur, ut dicat, haec verba quasi formulam esse, quoniam tales res generaliter acciderint, cum tyrannus rerum potitus esset.

Nos autem, quoniam verisimile non est easdem res eodem ordine in eadem urbe gestas bis esse, summam vim huic consensioni omnium ceterarum rerum tribuentes dicimus his paribus verbis easdem res Eresi gestas significari i. e. Agonippum et Erysilaum eodem tempore tyrannos fuisse; de iis autem quae diverso modo scripta sunt iam dicemus:

Agonippus igitur dicitur ad Alexandrum venisse civesque calumniatus esse.

Inde sine dubio non apparet, Agonippum ante Erysilaum tyrannum fuisse. Quod autem titulus de Agonippo memoriae prodit, hoc facillime per se coniungitur cum Arriani[1]) verbis, qui tradit, tyrannos tum captos ad Alexandrum in Aegyptum ductos esse; eum tyrannos remisisse imperantem, ut cives urbium eos in ius vocarent (anno 332). Atque hoc quidem idem est imperium Alexandri in titulo 8 commemoratum: ἐπειδη και[2]) τω δαμω ὁ βασιλευς 'Αλεξανδρος διαγραφαν ἀποστελλαις προσεταξε 'Ερεσιοις κριναι ὑπερ τε 'Αγωνιππω και Ειρυσιλάω.

Atque illo anno 332 Agonippum ab Eresiis accusatum esse, testimonium habemus gravissimum: Septem homines eum

---

[1]) III, 2. 7.

[2]) Suppl: ut ceteris illius regionis civitatibus.

capitis absolvunt, septem et septuaginta et octingenti capitis damnant[1]). Haec numerorum ratio magna quasi voce loquitur. Anni enim 334 aestate[2]) tot Eresii non ausi essent amicum Persarum capitis condemnare,[3]) non tot Macedonum amici iudices facti essent. Tum enim maxima Persarum classis quadringentarum navium in mare Aegaeum navigavit et Alexander suam ipsius classem centum sexaginta navium dimittere coactus est.

Optime vero illa numerorum ratio in annum 332 quadrat. Tum enim res prorsus commutatae sunt: Persae e mari Aegaeo erant exturbati, Macedones ibi dominabantur. Tum perpauci, qui Agonippo amicissimi erant, eum capitis absolvere ausi sunt, omnes ceteri iudices Macedonum gratiam captantes amicum Persarum morte multandum esse censuerunt. Agonippus sine dubio anno 332 supplicio affectus est.

Praeterea constat, post hanc Agonippi causam atque, ut videtur[4]), haud ita multo post Eresios illud de priorum tyrannorum posteris plebiscitum fecisse. Sine dubio post hoc plebiscitum conscriptum atque, ut videtur[5]), ante annum 329 Eresii Erysilao diem dixerunt. Is igitur post Agonippum captus est tum, cum Agonippus et alii tyranni ad Alexandrum in Aegyptum ducti erant. Ita factum est, ut Erysilaus, id quod titulus docet[6]), non apud Alexandrum esset, qui paullo post illam epistulam (διαγραφα) ad Eresios missam Aegypto oraque maritima relicta interiora Asiae ingrederetur. Quod Erysilaus nihilominus κατα ταν διαγραφαν τω βασιλεως accusatus est (una, non duae epistulae commemorantur), hoc ita facillime explicatur,

[1]) I, 30—33.

[2]) Vere exeunte captus et ad Alexandrum ductus et ab eo remissus, aestate fere exeunte in ius vocatus esset.

[3]) Noli contradicere, iudices clam suffragia tulisse (κρυπτα ψαφω). Persis enim amici noti erant. Sine dubio igitur scivissent, omnes ceteros iudices Agonippum capitis condemnasse.

[4]) vid. p. 18. Paullo post Alexander oram reliquit.

[5]) vid. p. 19.

[6]) Si apud Alexandrum fuisset, verba, ut Agonippus, pro se fecisset i. e., ut Eresiis videbatur, Eresios criminatus esset. Quod non erat, cur in eius titulo reticerent; in Agonippi quidem titulo commemoraverunt.

ut dicamus, Alexandrum, in mediam Asiam profecturum, Eresiis eadem epistula imperasse, ut Erysilaum, collegam Agonippi, tum nondum captum eadem ratione accusarent atque Agonippum, simulatque futurum esset, ut caperetur.

Res igitur Eresi gestae ita temporum ordini inserendae sunt:

Anno 331: Agonippi causa.

Paullo post: Plebiscitum de priorum tyrannorum posteris.

Intra annos 332 et 329: Erysilai causa.

Agitur hic de tempore, quo Agonippus et Erysilaus in ius vocati sunt, de tempore, quo tyranni erant, non item. Est autem quod putemus, Agonippum, sine dubio anno 332 capitis condemnatum, non inde ab anno 336 usque ad annum 334, sed inde ab anni 334 autumno usque ad annum 332 una cum Erysilao tyrannum fuisse. Etenim si quis Windelium secutus illud existimabit, putandum est Agonippum aut vere anni 334 captum usque ad annum 332 in vinculis mansisse[1]) aut anni 334 vere non captum eiusdem anni autumno in urbem a Persis tum recuperatam non rediisse[2]). Utrumque autem verisimile non est. Nobis id videtur quod non solum simplicius est, sed etiam illa titulorum consensione[3]) atque ea ratione, quam Persae in aliis urbibus inierunt,[4]) probatur, Agonippum una cum Erysilao 334—332 in Eresios dominatum, vere 332 captum et aliquot mensibus postea[5]), quum aliarum quoque urbium tyranni comprehensi essent, ad Alexandrum ductum esse.

Neque altera titulorum diversitate, quae Windelium commovit, ut de diversis rebus i. e. de diversis temporibus cogitaret, hoc refutatur. Mira enim est illa discrepantia, alterum tyrannum exegisse tria milia staterum et ducentos, alterum duo

[1]) Etenim si non in custodia mansisset, ad Persas confugisset et anni 334 autumno in urbem ab iis recuperatam rediisset. Urbem is quidem reliquit, sed tum quum a Persis oppugnata est. Ant hanc oppugnationem in urbe erat.

[2]) Etenim si denuo tyrannus extitisset, cives in titulo comme morassent.

[3]) vid. pp. 21—23.

[4]) In aliis quoque urbibus insulanis Persae summam rerum duobus hominibns tradiderunt.

[5]) Illud το τελευταιον; supr. p. 20 ann. 6; captus fortasse vere 332, ductus paullo aute hiemem 332; remissus vere 331.

milia staterum et ducentos. In utroque igitur numero inter se consentiunt minores partes (ducentos). Mirum autem non erat, si alter duo milia, alter tria milia vel si alter duo milia et centum alter duo milia et octingentos exegisset. Quod vero insculptum est: duo milia et ducentos, tria milia et ducentos, hoc admirationem nobis eamque suspicionem movet, ut de sculptoris mendo cogitemus vel existimemus, non recte viros doctos numeros legisse valde detritos[1].

Quae cum ita sint, videntur Agonippus et Erysilaus inde ab anni 334 autumno usque ad 332 ver tyranni fuisse. Ji igitur, qui anni 334 vere expulsi sunt, videntur illi priores tyranni (Apollodorus[2]) fuisse.

Utrum autem orator verbo ἐκβαλεῖν exilium Apollodori (a. 334 vere) an Agonippi comprehensionem suppliciumque significet, dubium est. Quamquam hoc facile concedimus, verbo ἐκβαλεῖν melius res anno 334 gestas quam res anni 332 designari.

Atque Droysenius, verbum ἐκβαλεῖν, inquit[3]), impedimento non est, quominus existimemus, tyrannos tum, quum oratio haberetur, iam reductos esse. Recte is quidem; atque eo minus impedimento est, si tyranni, qui autumno 334 extiterunt (Agonippus et Erysilaus) prorsus diversi sunt ab iis, qui vere 334 expulsi sunt (Apollodorus)[4]).

Oratio igitur post anni 334 ver videtur habita esse. Quod recte Droysenius coniecit. Cur autem existimet, oratorem aestate anni 333 verba fecisse, non dicit. Neque ipse huic sententiae multum tribuisse videtur; altero[5]) enim loco orationem intra annos 333 et 330 conscriptam esse concedit.

---

[1]) Neque id pro Windelio est, quod Sauppium secutus dicit, aras Jovis Philippici (τοις βωμοις τω Διος τω Φιλιππιω) ab Agonippo eversas esse. Quod enim Jovi tribuitur Cognomen deletum est. Eodem iure nobis τω Ἐλευθεριω vel tale quid legere licet.

[2]) pp. 18, 19.

[3]) l. l. I p. 272. n.

[4]) Droysenius vidit, inter priores tyrannos et Agonippum Erysilaumque nullam necessitudinem intercedere l. l. (Diadoch.) p. 372.

[5]) l. l. II, 277, 1.

Schaeferus

autem orationem in anno 330 collocat. Videtur[1]) autem existimare orationem tum habitam esse, quum bellum Agidis in Peloponneso ortum esset i. e. post exitum anni 331. At ortum bellum nondum erat, quum orator contionatus est. Is enim, bellum, inquit, μετὰ τῶν βουλομένων[2]) suscipiamus. Volebant igitur nonnullae civitates Macedonibus bellum inferre, nondum intulerant. Illud autem, quod orator[3]) dicit: bellum contra Macedones paremus, quoniam τοῖς γε κατὰ γῆν πρὸς τῇ ὑπαρχούσῃ δυνάμει ἔστι προβολὰς ἑτέρας ἰσχυροτέρας εὑρέσθαι, quae verba Blassius[4]) ita interpretatur, ut dicat, verbo προβολαί quum alios Atheniensium socios tum Thebas designari, eodem iure ad omnes eos, qui Thebis dirutis Macedonum hostes erant, Spartiatas, Megarenses[5]), Eleos, multas Arcadum Achaeorumque urbes referri posse Schaeferus[6]) Windeliusque[7]) recte existimant:

Quod orator ita pergit: illud autem eo facilius est πεπαυμένων ὑπὸ τῆς τύχης τῶν δορυφορουμένων ὑπὸ τῶν τυραννικῶν στρατοπέδων καὶ τῶν μὲν ἐφθαρμένων τῶν δὲ ἐξεληλεγμένων οὐδενὸς ἀξίων ὄντων i. e. postquam illi homines perditissimi, quorum satellites illi castrorum [dicit autem arcem Thebarum, Corinthum, Chalcidem[8])] milites tyranni sunt, fortuna adiuvante ita oppressi sunt, ut partim supplicio affecti partim in exilium eiecti sint — non de bello orto, sed de iis victoriis cogitandum est, quas amici oratoris intra suarum urbium moenia ex adversariis tulerunt.

Bellum hae civitates, ut supra diximus, Macedonibus nondum intulerant; factione autem Macedonica devicta ad bellum occasione data Macedonibus indicendum propensae

---

[1]) l. l. III, l. p. 191, 192.

[2]) § 8, p. 214 R.

[3]) p. 218 § 25.

[4]) l. l. p. 122.

[5]) infr. ultim. pag.

[6]) l. l. p. 192.

[7]) l. l. p. 31.

[8]) p. 6 supr.

erant. Oratio igitur habita est ante bellum in Peloponneso ortum i. e. ante exitum anni 331[1]).

Praeterea Schaeferus illud[2]) impugnans quod St. Croix censuit, non est, inquit, quod putemus anno 334 factum esse, ut nautae Tenedum vehi iuberentur. Eodem iure licet existimare, Macedones hoc nautis tum imperasse, quum Macedonum classis restitueretur i. e. anno 333 vel 332[3]).

Windelius argumentis comprobare studet[4]), hoc imperium nautis anni 333 autumno traditum esse.

Droysenius[5]) autem putat hoc iussos esse nautas facere autumno 334.

Grotius[6]) anno 335 evenisse existimat.

Quorum quis verum viderit, diiudicare non possumus nisi ita, ut quaeramus, quid Alexander navibus Tenedum ductis efficere voluerit.

Atque Schaeferus et Windelius videntur existimare, Alexandrum fortasse navigia eo consilio retinuisse, ut de Atheniensibus poenam caperet, quod naves ex foedere imperatas in Hellespontum non misissent.

At primum haud credibile est, Alexandrum, qui de bello Persico magnopere sollicitus studiose operam daret, ut Graecos in pace retineret, temere Athenienses potentissimos non lacessivisse nisi eo consilio, ut suam ipsius iram expleret.

Deinde nescimus, utrum Athenienses illas naves in Hellespontum miserint necne; nescimus igitur, utrum Alexandro causa irascendi fuerit necne.

Praeterea Macedones retinuerunt πάντα τὰ ἐκ τοῦ Πόντου πλοῖα omnia navigia i. e. non solum Atheniensium sed etiam ceterarum[7]) urbium maritimarum. Ergo aut dicendum est,

1) Postquam diximus, orationem post anni 334 ver habitam esse, non est, quod de Alexandri et Thebanorum bello cogitemus.

2) vid. sup. pp. 8—10.

3) l. l. p. 192.

4) l. l. pp. 29—31.

5) l. l. p. 241.

6) History of Greece, a new edition, London 1870. p. 344. ann. 2.

7) In prooemio huius partis (§ 19) orator significat omnes Graecos quodammodo hac quoque re gesta violatos esse.

omnes urbes maritimas recusavisse, ne illas naves in Hellespontum mitterent et propterea Alexandrum ab omnibus civitatibus maritimis poenas repetiisse aut Alexander hoc consilio omnino non usus est. Illud autem Windelius ipse non putat[1]).

Quae quum ita sint, non est, quod existimemus cum Schaefero et Windelio, hanc rem Tenedi gestam coniungendam esse cum Alexandri de navibus ex foedere in Hellespontum mittendis mandato i. e. navigia Tenedum ducta esse aliquot mensibus postquam hoc Graecis imperatum erat. Hoc igitur argumento neque id, quod Schaefero videtur, anno 331 Macedones navibus vim intulisse neque id, quod Windelius coniecit, anni 333 autumno nautas Tenedum vectos esse comprobatur.

Atque ipse concedo, naves anno 333 retentas esse, sed id nego, hoc tempus illo argumento confirmari.

Alterum argumentum a verbis τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν petens Windelius ita ratiocinatus est[2]):

Macedones tum, quum naves Tenedi retinuerunt, τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν, id quod ex oratoris verbis apparet, habuerunt.

Ergo Macedones tum, quum naves retinuerunt, in mari Aegaeo victoria reportata dominati sunt.

At supra[3]) exposuimus, nobis verba τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν interpretantibus non de victoria Macedonum et dominatione in navibus posita cogitandum esse.

Droysenius autem rem ita interpretatur: Alexander, priusquam Gordicum venisset, ad Hellespontum vere anni 333 Hegelochum misit[4]), qui classe reparata impediret, quominus Persae in Hellespontum et Propontidem et Bosporum naviganstes Macedonibus a tergo reditum adimerent. Atque Droysenio videtur Hegelochus hoc ita effecisse, ut omnia navigia Graecorum mercatoria Tenedi retenta in belli usum commutaret.

At quid ille dux ex navibus onerariis commodi cepisset?

1) l. l. p. 31: Hegelochus classe, quam ex aliis Graecis urbibus comparaverat, Aristomenem devicit.

2) p. 30. 31.

3) p. p. 10—13.

4) Arrian. II, 2, 3; Curtius III, 1. 19.

Non multum sine dubio, nisi navigia plane destruxisset, destructas alia ratione aedificasset. An credibile est, futurum fuisse, ut navigiis inhabilibus usus multum detrimenti afferret navibus longis expeditis mobilibusque Phoenicum Cypriorumque, hominum in rebus maritimis exercitatissimorum paratissimorumque?

Et si apud Tenedum navigia retinuisset, ubi ea quasi in conspectu hostium essent ornata, metuendum erat, ne hostes repentino impetu facto impedirent, quominus naves commutarentur.[1])

Tenedi praeterea num tot navalia erant, ut tot navigia armarentur? Quodsi id spectasset Hegelochus, quod Droysenio videtur, naves per Propontidis navalia dispertivisset.

Accedit quod orator dicit, omnibus navigiis factam esse illam vim: non solum magnis probisque, sed etiam parvis deterioribusque. His sine dubio Hegelochus, si illud agebat, uti non potuit.

Nam etiamsi concedimus oratorum verba non ita premenda esse, ut eorum qui in rebus exponendis versantur, tamen si duae explicandi rationes in promptu sunt, quarum altera omnia explicantur, altera non item, illa sine dubio eligenda est.

Quid? qui ubicunque fieri potest, gravissimas in adversarios confert contumelias, num putabimus eum satis habiturum fuisse rem ab adversariis gestam simplici verbo κατάγειν significare, si dicere potuit, Macedones in eo fuisse, ut multo maiorem vim onerariis navibus inferrent easque in pericula belli et discrimina vocarent?

Itaque non est, quod naves vere anni 333 retentas esse existimemus.

Restat, ut de Grotii sententia loquar qui ita fere rem narravit: Alexandrum[2]), quum Danubium fluvium peteret, Byzan-

---

[1]) Sed ipsi concedimus, hoc argumentum nihil valere, si fieri potuerit, ut tot navigia per paucos dies prorsus instruerentur; per paucos enim dies etesiis flantibus fieri non poterat, ut inde a Lesbo vel Chio vel ceteris Sporadibus vel Cycladibus quisquam Tenedum versus navigaret.

[2]) p. 344 ann. 2. We know that Alexander caused a squadron of ships to sail round to and up the Danube from Byzantium

tiis imperavisse, ut frumentum navigiis in Pontum Euxinum et inde in illud flumen transportarent. Tum eundem jussisse navigia Graecorum frumento repleta Tenedi retineri, atque id quidem eo consilio iussisse, ut illa nautarum in Danubium navigatio facilius perfici posset. At illa vi Graecorum navibus Tenedi illata quomodo fieri potuit, ut Byzantiorum in Danubium navigatio expediretur? Si Alexander id egit, ut naves Graecorum frumento privaret vel frumentum ab iis emeret, cur tandem non Byzantii navigia retinuit? Accedunt argumenta a Windelio contra Grotium allata[1]).

Jam quid nobis ipsis videatur, exponere liceat.

Constat naves autumno ex Ponto redeuntes frumento oneratas fuisse. Atqui Macedones sperare non poterant, Graecos concessuros esse, ut frumentum diu Tenedi retineretur. In Graecia enim sine dubio fames esse coepisset et inopia. Quod fieri omnino non poterat, id Macedonum duces rerum periti sine dubio non conati sunt facere. Ipsi igitur volebant naves onerarias per paucos Tenedi manere dies. Sperabant enim se id, quod navibus retentis effecturi erant, intra paucos dies effecturos esse.

Quod autem non in Bosporo vel Propontide, sed apud Tenedum in conspectu hostium sitam naves retinuerunt, est, cur putemus hoc iis diebus factum esse, per quos fieri non poterat, ut hostium naves hanc insulam peterent i. e. iis paucis diebus, ubi etesiae flabant.

Autumno autem exeunte vel hieme anni 334/3 Persae Mitylenen, urbem Lesbiacam, obsidere coeperunt magno militum numero et multis navibus prope urbem collocatis[2]). Fuit autem tota Persarum in mari Aegaeo classis quadringentarum navium

---

(Arr. 3. 3.) to meet him after his march by land from the southern coast of Thrace. It is not improbable that the Athenian vessels detained may have come loaded with a supply of corn and that the detention of the corn — ships may have been intended to facilitate this operation.

[1]) p. 29; quae p. 30 inde a verbis: „Tertium cum hoc tempore . . . . .“ affert argumenta, ut supra demonstravimus, nulla sunt

[2]) Arrian. II. 1. 2.

longarum, quae fere octoginta milibus hominum instructae erant[1]). Accedebant navigia fere mille[2]), quae illam classem ad equos et milites et pistores et mercatores et alios opifices transportandos sequebantur. Quibus navigiis multos remiges opus fuisse apparet. Atque omnium horum hominum numerum ignoramus. Videntur autem non minus quam viginti milia fuisse in his mille navibus. Erant igitur tum in mari Aegaeo centum fere milia Persarum. Dimidia fere parte eorum in insulis praesidio relicta et ad bellum in Asiae ora gerendum missa Memno, dux Persarum, quinquaginta fere milibus hominum ad Lesbi urbes expugnandas navigavit, ubi sex fere menses manserunt. Atque ad hanc tantam hominum multitudinem alendam quotidie ingentem frumenti vim opus fuisse per se intellegitur. Undique frumentum comportandum erat ad tot homines per tot dies eodem loco nutriendos. Ex Macedonia autem et ex Graecia hostibus frumentum non missum esse apparet; in Asiae ora Alexander pugna ad Granicum facta cum aliis de causis tum eo consilio meridiem versus profectus est, ut hanc oram classi Persarum appropinquanti adimeret, atque Persae in hac fecunda ora insulisque prope eam sitis recuperandis summum propterea studium collocaverunt, quod non ignorabant hanc oram suae classis quasi fundamentum esse. Nullus autem dubito, quin Macedones cum Persis de his regionibus per annum 333 pugnantes summa contentione usi sint et proeliis[3]) devicti non omiserint agros ubique devastare. Ita enim optime se, cum classe tum haud magna uterentur, classi Persarum bellum inferre posse, intellegebant. Agris autem orae Asiaticae, quos Persae vi et armis recuperaverunt, devastatis, ne ibi quidem ii frumentari poterant. Maxima igitur frumenti copia quotidie ex Phoenice et Aegypto navibus supportanda erat, atque in summas angustias Persae deducebantur, simulatque hic commeatus interclusus erat. Quod etesiis

[1]) Boeckh: Staatsh. I, p. 364.

[2]) Xerxis quidem mille et ducentas naves longas secuta sunt quatuor vel tria milia navigiorum: E. Curtius, Gr. Gesch. II, p. 45.

[3]) Miletum ii quidem relinquere coacti sunt. Curtius Rufus IV, VI 37; Postea recuperant, id. IV, XXIII, 13.

flantibus factum est i. e. per mensem Julium anni 333[1]). Tum enim fieri non potuit, ut quisquam in mari Aegaeo septentriones versus navigaret. Itaque si tum ne a septentrionibus quidem in Lesbum frumentum comportatum est, Persae ad summam inopiam redacti sunt, praesertim quum hoc tempore anni copiae horreorum consumptae essent.

Facillime autem illud Macedones ita impedire potuerunt, ut navigia, quae ex Ponto tum frumento onerata redibant, Tenedi retinerent. Qua ratione efficere potuerunt, ut, quoniam ita magna pars militum naviumque insulam Lesbum relinquere cogeretur, et Mytilenaeis iam diu obsessis facultas aequiorum condicionum a Persis accipiendarum daretur, et Persarum classis per mare Aegaeum dissiparetur vel potius ex hoc mari quodammodo meridiem versus eiceretur. Praeterea ita id quoque potuerunt efficere, ut postea Persis in navibus recolligendis et septentriones versus reducendis tempus consumendum esset. Quod Macedonibus maximi erat momenti, quoniam tum nondum tot navibus utebantur, ut in mari Aegaeo ipso Persis resistere possent[2]). — Atque haec omnia revera illo ipso tempore illius anni facta sunt. —

Etesiis[3]) enim anno 333 flantibus Alexandri militibus, qui

[1]) De anni 334 Julio non est quod cogitemus. Tum enim Persarum classis mare Aegaeum nondum intravit. Anni autem 332 Julio Persae e mari Aegaeo iam omnes fere eiecti sunt. Praeter ea vid. p. 34.

[2]) Arrian II, 2, 3.

[3]) Etesiis flantibus haec omnia facta esse ex his rebus apparet. Primum Alexander mercennariis Persarum inde a Lesbo in Phoenicen a Pharnabazo abductis sine mora a Gordieo profectus est (Droysen. I p. 245, 2.) Quoniam autem mense Octobri in Cilicia fuit et ad iter faciendum sexaginta fere dies opus erant, videntur et illi mercennarii et Alexander mense fere Julio profecti esse. Quae gesta sunt eodem tempore, quo illa evenerunt, quae supra perscripsimus. Praeterea mirum est Autophradatem, alterum Persarum ducem, eodem tempore non statim Tenedum navigasse, quam Persae summo studio petebant quoniam in ipso introitu Hellesponti sita est. Non minus mirum est Thymondam, qui a Dareo iussus erat mercennarios in Phoenicen ducere, eodem tempore non usque ad Lesbum venisse, sed in Lyciae ora mansisse ibique summam imperii suscepisse: Etesiis flantibus neque Autophradates Tenedum navigare neque Thymondas mare Aegaeum intrare aut in Lesbum vehi poterat.

Mitylenen diu a Persis defenderant, contigit, ut urbem hostibus dantes eam condicionem acciperent, ut ipsis in terram continentem abire liceret (Arrian. II. 1. 4.). Praeterea Arriani verba indicant, Persas Mytilenaeis multa pollicitos esse, fidem autem non servasse. Eodem tempore Persarum classis tantum aberat, ut apud Lesbum maneret, ut ad insulas meridiem versus sitas[1]) vela daret. Postea autem navibus recollectis sine mora Tenedum advolant.

Praetera ad Persarum classem meridiem versus repellendam et dissipandam perpaucos dies naves retinendae erant. Decem vel summum viginti dies ad illud perficiendum satis erant.

Quaecunque igitur accepimus, indicant Macedones navibus mercatoriis eo consilio vim attulisse, ne frumentum in manus Persarum veniret[2]). Nuntio autem de navibus retentis Athenas et in alias Graeciae urbes allato Macedonum amici animos Atheniensium frumentum aestate exeunte vehementissime desiderantium ita pacare studuerunt, ut et rem gestam necessariam esse et naves perpaucos dies retinendas esse exponerent. Quae omnia orator, quippe qui adversarius Macedonum esset, inanes fabulas nugasque vocare non dubitavit[3]). Amici autem eius omni ratione animos civium excitare conati sunt, ut hoc Macedonum consilium ad irritum redigerent. Atque ita effecerunt ut illud de centum navibus sine mora[4]) armandis plebiscitum fieret. Propterea Macedonum amici Athenis polliciti sunt, se statim iussuros esse, illas naves Tenedi solvi. Sed nihilominus

---

[1]) Arrian. II, 2, 1: ἐπὶ τὰς ἄλλας νήσους: sine dubio non in Lemnum, Imbrum, Scyrum. Quae insulae Atheniensium erant. Ad has Persae metu magnae Atheniensium classis commoti naves appellere non ausi sunt. Ceterae igitur insulae Sporadum (Chius, Cos, aliae) et Cyclades sunt eae insulae, ad quas Persae proficiscuntur, i. e. insulae meridiem versus spectantes.

[2]) Si nautae Tenedo relicta in mare Aegaeum vecti essent, Macedones impedire non poterant, ne illi ad Persas se conferrent divitiis abundantes et opulentos.

[3]) § 20. p. 217: καὶ σκευωρούμεμοι περὶ αὐτά.

[4]) Athenienses iubent, naves εὐθὺς τότε instruendas i. e. cum Persarum navibus apud Cyclades versantibus coniungendas esse. Quod [εὐθὺς τότε] etesiis flantibus fieri potuit.

id perfecerunt, quod voluerunt. Priusquam enim nuntius de navibus retentis Athenas venisset et contio convocata esset et nuntius de plebiscito non mari sed terra[1]) missus Tenedum allatus esset, tot dies praeterierunt quot Macedonibus opus erant i. e. decem vel viginti dies.

Quae cum ita sint, videntur nautae mense Julio anni 333 Tenedum vehi coacti esse.

Proximum est, ut demonstremus verum non vidisse

Beckerum,

qui orationem anno 325 habitam esse dicit. Commemorari enim ab oratore illud Alexandri edictum, quo omnes fere exules in suam quisque patriam redire iussi essent. Putare autem videtur illud edictum verbo πρόσταγμα[2]) designari, quo Macedonibus praecipiatur, ut puerorum magistrum Sicyonem aliosque alio reducerent. At illud Alexandri edictum non ad certos quosdam homines, sed ad omnes fere exules pertinebat. Praeterea, id quod alio[3]) loco demonstrasse nobis videmur, illud πρόσταγμα a synedrio, non ab Alexandro datum est. Accedit quod orator ad illud praeclarissimum Alexandri edictum, quo tota Graecia commota est, denotandum articulo τό usus esset. Neque si putamus, contionem anno 325 compositam esse, habemus, quo res ab oratore commemoratas referamus.

Restat, ut

Windelii

sententiam in quaestionem vocemus. Qui postquam rebus ab oratore commemoratis ad eam sententiam perductus est, ut putet, orationem anno 332 vel 331 vel 330 compositam esse[4]), argumenta[5]) affert, quibus a rhetore quodam eam fictam esse comprobetur haud multo post Demosthenis mortem.

---

[1]) Etesiis flantibus fieri non potuit, ut quisquam Athenis Tenedum navigaret.

[2]) § 16 p. 216.

[3]) In Philologi vol. XLII p. p. 608—614.

[4]) l. l. p. 19—33.

[5]) p. 34—40. Atque Blassio (Bursian. ann. XXX. vol. p. 243/4) Windelii sententiae altera alteri contrariae esse videntur. At si contrariae essent, nulla ratione coniungi poterant.

Ut autem demonstret, orationem in annum 332 vel 331 vel 330 quadrare, praeter res a nobis iam consideratas[1]) affert has:

Philiadae filios anni 335 autumno Thebis deletis Messenen reductos esse, Schaeferum secutus probabiliter exposuit[2]).

Atque id quidem recte se habere concedimus, quod de Chaerone post annum 334 Pellenae tyranno facto et de puerorum magistro post Alexandri in Asiam transitum i. e. post ver anni 334 Sicyonem reducto disserit[3].)

Postremo autem orator Macedonibus hoc crimini dat,[4]) quod in Piraeum contra foederis condiciones invecta sit triremis, cuius magister ab Atheniensibus petivisset, ut sibi ipsi parva navigia Athenis aedificare concederent. Atque hanc rem ii, qui ante Thebas deletas orationem habitam esse volunt, anno 336 vel 335 gestam esse putant. Neque vero argumenta afferunt[5]). Schaeferus autem et Droysenius tum eam factam esse existimant, quum Macedones operam darent, ut classem

---

[1]) p. p. 5 ann., 10–13, 15, 17–19, 21–23, 25–29, 31.

[2]) p. p. 20. 21.

[3]) p. p. 28, 29.

[4]) § 26 p. 218.

[5]) Windelius autem eorum sententiam refutare studet. Quamquam argumento quod attulit ne nos ipsi quidem, qui Schaeferum et Droysenium et Windelium sequamur, magnam vim tribuimus. Nam, Alexander, inquit, neque anno 336 neque anno 335 ante Thebas deletas ausus esset Athenienses et foedus tantopere violare.

At haec foederis et Atheniensium violatio non tanta est, quantam esse orator audientibus demonstrare studet.

Atque primum quidem in maius, ut videmus, orator rem verbis extollit et hoc consilio usus Macedones calumniatur.

Praeterea verba foederis hoc loco non affert; quod suspicionem movet, ut putemus, fuisse in foderis verbis, quod Macedones quodammodo excusaret. Atque saepe factum est, ut naves tempestatibus subito coortis vel hostium impetu in portum confugere cogerentur. An ne tum quidem Macedonum triremibus licuit in Piraeum intrare? Nullus equidem dubito, quin Graeci rerum maritimarum periti de his rebus in condicionibus foederis conscribendis cogitaverint.

Accedit, quod custodes in Piraei introitu erant. Quibus notum erat, cui in Piraeum vehi liceret.

restituerent i. e. anno 333 vel 332. Atque Droysenius argute coniecit,[1]) ducem huius triremis fuisse Alcimachum, ducem Macedonum[2]) et civem Atheniensium[3]). Quod nobis propterea verisimile videtur, quod navis triremis, quae civis Atheniensis esset, etiamsi a Macedonibus missa erat, tamen vetari non potuit in Piraeum venire. Atque Droysenius illud monet[4]) Alcimachum[5]) Athenis contionatum eique adversatum esse Demosthenem.

At ignoramus, qua de re Alcimachus verba fecerit, et si sciremus eum de eo dixisse, ut liceret Athenis in navalibus parva navigia aedificare, dubium est, num hoc eodem tempore factum sit, quo Alexandri epistola de navibus ex foedere in Hellespontum mittendis ad Athenienses perlata est (vere anni 333). Atque Droysenio quidem eodem tempore ea de re Alcimachus videtur contionatus esse. At si hanc Droysenii sententiam sequeremur, res Athenis hoc ordine gestas esse concedendum esset:

1) Vere anni 333 triremis Athenas venit.

2) Mense Julio 333 illud de navibus Tenedi retentis plebiscitum factum est. Quod concedere non possumus. Etenim illam triremem Athenas venisse non ante contionem de rebus Tenedi gestis habitam sed post eam, eo ordine, sicut Windelius dicit[6]), demonstrari videtur, quo orator has res enarrat. Praeterea orator triremem paullo ante, quam ipse in contionem prodiisset, in Atheniensium portum appulisse verbo πρῴην[7]) significat, de plebiscito autem verba faciens et vocabulo τότε[8]) utitur et aliquid temporis interea praeteriisse indicat[9]).

Quibus de causis cum Schaefero, si Alcimachus dux huius

---

[1]) l. l. p. 242, 2.

[2]) Arrian I, 18, 2 (varia lectio 'Αντίμαχον Λυσίμαχον.

[3]) Harpocration s. v.

[4]) l. l. p. 242, 2.

[5]) Scriptor. de reb. Alex. fragmm. ed. Mueller. p. 38.

[6]) l. l. p. 32.

[7]) p. 218 § 26.

[8]) p. 217 § 20.

[9]) p. 217 § 22: καὶ νῦν ἔτι.

triremis fuit, de altera Alcimachi legatione cogitamus, sine dubitatione autem cum Windelio, triremis ducem post vim navibus Tenedi allatam i. e., ut supra demonstrasse nobis videmur, post Julium mensem anni 333 in Piraeo ancoram posuisse, dicimus.

Windelius autem sententia Droysenii refutata, malim, inquit[1]), legationem ponere post annum tricesimum tertium et alterum factam, cum classis Macedonum Persas acrius impugnare coepit.

At post annum 332 tota Persarum classis ex mari Aegaeo abierat et ne per annum 332 quidem Macedones Persarum classem acriter impugnasse videntur. Ineunte enim hoc anno[2]) postquam classis Persarum omnibus Phoenicum et Rhodiorum et Cypriorum navibus in Phoenicen ad Alexandrum profectis vehementissime imminuta est, haud multae naves — erant autem naves Aegyptiorum[3]) — in mari Aegaeo manserunt. Atque hanc tum classem non metuendam fuisse inde apparet, quod Rhodii ausi sunt non modo non a Persis deficere sed etiam suam ipsorum classem navibus in Phoenicen missis imminuere[4]). Macedones autem illas classis reliquias propterea minus acriter bello persecuti sunt, quod non ignorabant, Aegyptios in patriam ipsos redituros esse, quum audivissent, Alexandrum patriae appropinquare.

Quae quum ita sint, Macedones non modo non post annum 332 sed ne post annum 333 quidem eo studio bellum maritimum paravisse videntur, quo per annum 333 usi sunt. In hunc igitur ipsum annum illa legatio optime quadrat.

In idem autem tempus ducimur, haec nobiscum reputantes: Orator enim, ut civium animos in Macedones excitaret,

---

[1]) l. l. p. 32.

[2]) Droysen l. l. I, p. 287.

[3]) Fortasse Aegyptii, quoniam Persis inimici erant (Curt. Rufus XXIX, 1,) iam tum exemplum Phoenicum secuti naves revocaverunt.

[4]) Arian II, 20, 2. (ed. Sintenis.)

hos criminatur dicens[1]), eos eo consilio, ut quam plurimos possent nautas Athenis cogerent, ab Atheniensibus petivisse, ut sibi liceret illa navigia aedificare. Quod sive Macedonum consilium erat, sive non erat, orator sine dubio id dicere non poterat, nisi verba speciem veritatis habuissent i. e. nisi tum Macedonibus quam plurimi nautae opus fuissent. Tum igitur nondum tot nautis Macedones utebantur, quot ad hostes superandos satis essent. Anno autem 332 exeunte Alexandro nautae parebant quicunque in ora Macedoniae et Thraciae et Asiae minoris et Phoenices et Aegypti et in insulis haud procul a continenti sitis habitabant. Tum orator haec dicere non potuit. Atque quo longius Alexander in ora progressus erat, eo minus verisimilia illa verba audientibus videbantur, i. e. verisimiliora iis videbantur anno 333 quam anno 332.

Praeterea illa verba id tempus indicant, quo Macedones nautarum numerum augendum esse existimabant. Quod, putabant, priusquam hostium classis Rhodiis et Cypriis et Phoenicibus profectis, ut supra[2]) exposuimus, paene dimissa esset i. e. ante ver anni 332.

Quod denique Macedones praeter id consilium, quo eos usos esse orator dicit, revera id egerunt, ut parvarum navium numerum augerent, mirum est, Macedones non ipsos has aedificasse. Neque enim materia eos defecit[3]) neque tantis ante urbes Persarum expugnatas divitiis abundabant, ut plena eas manu temere foras dare possent. Quare si tamen ab Atheniensibus petebant, ut parvas naves ibi aedificare liceret, videntur tum belli angustiis impediti navibusque longis aedificandis occupati fuisse.

Praeterea videmus navigia parva i. e. ἱππαγωγά et σιταγωγά et scaphas navium longarum tum nondum satis multa praesto fuisse. Quod in annum 333 optime quadrat, in annum 332 non item, ubi non erat, quod navigiis per proximum annum et aedificatis et collectis alia adderent et si quae opus erant

---

[1]) p. 219 § 28: ἀλλ' ᾤοντο ἅμα ναυπηγήσεσθαι ἐνταῦθα καὶ πληρώσεσθαι ἐν τῷ λιμένι τῷ προειρημένῳ.

[2]) p. 38.

[3]) Quod orator ipse testatur p. 219 § 28.

a fabris Macedonum aedificari poterant. Omnia igitur indicant triremem ante ver 332 Athenas venisse. Quod post Julium mensem anni 333 factum esse, supra[1]) exposuimus. Triremis igitur Piraeum intravit intra Julium 333 et initium veris 332. Quoniam autem nautae de navigationibus mense fere Novembri desistere solebant, hoc ipso mense vel paullo ante[2]) eum ille trierarchus in Atheniensium portum venerat petens, ut ipsi concederent parva navigia per hiemem aedificare.

Jam orator hanc rem πρῴην gestam esse dicit. Ergo oratio, haud multo[3]) post hanc rem composita est. Neque est, quod Windelium secuti existimemus oratorem anno 332 vel 331 verba fecisse. Qua de re infra[4]) uberius disputabimus.

Nunc teneamus Windelium ipsum concedere fieri posse, ut oratio in illis fere annis ponatur. Cur igitur a rhetore eam paullo post Demosthenis mortem esse fictam putat? Quia[5]) pro suasoria, ut ipse ait, multo infinitior est, mirae discrepantiae in ea inveniuntur, quaesita et rara vocabula non pauca leguntur, inopia verborum summa est, dispositio et tractatio ex schemate atque epichiremata magis ex dialecticis et scholae quam ex rhetoricis et oratoris praeceptis formata sunt.

At Windelius non satis accurate examinavit, quid singula argumenta valerent. Nonnullis enim demonstratur orationem Athenis non habitam esse. Sed tantum abest, ut inde sequatur orationem a rhetore scriptam esse, ut hoc ceteris argumentis refutetur. Videbimus autem orationem alio consilio compositam esse.

Primum igitur quaeramus, utrum oratio in contione Atheniensium habita vel eo consilio conscripta sit, ut ibi haberetur.

---

1) p. 37. 38.

2) p. 37. Aliquid temporis interest inter orationem habitam vel adventum navis πρῴην factum et res Tenedi Julio 33 factas. Quodsi illos terminos (Jul.—Nov.) recte posuimus, verisimilius est navem Novembri ineunte vel Octobri Athenas venisse, quam Augusto vel Septembri.

3) i. e. paullo post Octobrem vel Novembrem ineuntem.

4) pp. 50—52.

5) p. 40.

Quod recte Windelius negat. Nam non solum omni varietate, ut ille dicit[1]), caret, sed etiam ita omnino scripta est, ut, si revera habita esset, vix commovere potuerit animos Atheniensium.

Illud quoque recte Windelius monuit elocutionem omnibus fere locis abhorrere et discrepare ab usu a Demosthene aliisque oratoribus in contionibus Atheniensium usurpato. Quodsi oratio Athenis habita esset, sine dubio hunc usum violavisset.

Neque tamen inde sequitur, quod ille voluit, a rhetore scriptam esse orationem, sed his argumentis refutatur.

Atque primum quidem Windelius, inopia, inquit, verborum nonne irritam rhetoris diligentiam indicat?

At diligentia si scriptor in verbis variandis usus esset, facillime inopiam vocabulorum evitare potuit. Rhetor autem, quoniam homines eius generis in verbis eligendis summa ope nitebantur, ut varia esset oratio, quoniam praeterea omnino studiosius operam tribuebant verbis quam rebus, nescio an plus in variandis verbis industriae posuisset orationemque etiam atque etiam perpolivisset. Quae omnia in hunc scriptorem non quadrant[2]).

Praeterea Windelius eundem in oratione tenorem extare recte negat. Orationis enim alias partes languidas, alias nervosas esse. Atque Windelius nobis persuadere studet, has nervosas partes ita in hanc orationem venisse, ut rhetor eas ex Demosthenis orationibus sumptas retractaverit; languidas vero ab ipsius rhetoris ingenio profectas esse. Quinque autem locos affert, qui quidem non ad verbum ex Demosthenis orationibus sumpti, sed locis Demosthenicis similes sint:

§ 9: νυνὶ δὲ ὅτ' εἰς ταὐτὸν τὸ δίκαιον ἅμα καὶ ὁ καιρὸς καὶ τὸ συμφέρον συνδεδράμηκεν, ἄλλον ἄρα τινὰ χρόνον ἀναμενεῖτε τῆς ἰδίας ἐλευθερίας ἅμα καὶ τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἀντιλαβέσθαι. Verba νυνὶ δὲ et καιρὸς inveniuntur: Demosth. I, 9.: νυνὶ δὲ καιρὸς ἥκει τις; verba χρόνον et καιρόν: Demosth. III. 15.: τίναγὰρ χρόνον ἢ τίνα

---

1) pp. 5, 14, 36, 40.

2) Blassius recte scriptorem laudat, quod semper de certis quibusdam rebus disputet: annal. Burs. XXX. p. 243/4.

καιρὸν . . . . ζητεῖτε; verbum ἀντιλαβέσθαι: Demosth. I, 20.: ἕως ἐστὶ καιρὸς ἀντιλαβέσθαι τῶν πραγμάτων. Duo igitur vel tria verba in hac sententia coniuncta leguntur, quae Demosthenes in tanto orationum numero coniunxerat. Cui similitudini non tantum tribuendum est, ut ea verba ex Demosthenis orationibus descripta esse existimemus. Ista igitur orationis discrepantia, quod aliae partes languidae aliae nervosae esse dicuntur, non potest ex imitatione Demosthenis repeti.

Languidae autem sunt eae partes, ubi scriptor argumentatur, nervosae sunt eae, ubi adversarios petit. Diversa igitur natura rerum a scriptore tractatarum factum est, ut modo languida modo nervosa oratio sit.

Atque nos orationem falsario tribuentes, qui illis ipsis temporibus vixit, ubi habitam esse orationem simulat, utrumque facile explicare possumus, quomodo et illa aggrediendi vis et hae argumentationes ortae sint.

Nam in iis, quae contra adversarios dicit, impetu quodam animi ducitur atque quodammodo ex animi sententia loquitur ideoque gravem se et nervosum praestat.

Qui autem id unum[1]) sibi proponit, ut difficillimam de iure quaestionem tractet, demonstraturus, Macedones sex foederis condiciones neglexisse — et hanc quaestionem ita tractandam esse putat, ut confirmet, Athenienses foederis condiciones bello facto non modo non violaturos, sed diligentissime observaturos esse, is omnino tales argumentationes evitare non potest. An quomodo illud, Macedones sex foederis condiciones laesisse, probari potest, nisi ita, ut illae sex foederis condiciones ad verbum deinceps afferantur et unicuique condicioni res gestae addantur, quibus Macedones in ea offenderint? Tales argumentationes eo minus hic scriptor effugere potest, quod

[1]) Windelius recte dicit, Demosthenem in Philippica tertia alia ratione agere. At Demosthenes non solum praeter ius belli suscipiendi exposuit „utile“ et „possibile,“ sed etiam illud ius ita probavit, ut Philippum omnibus foederis condicionibus sublatis revera in bello esse demonstraret. Quod hic de Alexandro dicere non potuit. Singulae condiciones sex violatae sunt a Macedonibus, neque vero arma Alexander regionibus, quae Atheniensium essent, intulit.

ei tribus in partibus, quoniam Macedones tribus rebus gestis non Athenienses ipsos, sed alios Graecos violaverunt, argumentis confirmandum est, has quoque res ad Athenienses pertinere.

Si quis igitur cum Windelio miratur, quod in singulis orationis partibus tales argumentationes repetitae leguntur, is miratur[1]), quod scriptor quaestionem sibi elegit, in qua tam languidas explicationes et argumentationes evitare non poterat. Quod nos quidem explicare possumus, cur falsarius fecerit. Nam cum illis temporibus floreret, quae oratio significat, ipsis horum temporum rebus coactus animum induxit, de illa sola quaestione orationem componere. Vidit autem — ut ipse indicat[2]) — Graecos non ignorare bellum utile esse et suscipi posse, neque vero τὸ δίκαιον satis, ut ipse dicit, explicatum esse. Atque quum Macedonum amici iterum decantarent ac saepius, decere Athenienses in pace manere, quoniam iure iurando obstricti essent, et ad ius omnia referrent, scriptor de iure solo orationem conficiendam esse censuit. Ita facillime intellegitur, cur auctor non de utilitate et occasione belli uberius disputet[3]), sed rem ita circumscriptam tractare destinaverit.

Rhetor vero cur tandem hunc modum sibi constituit? Cur is, qui animos hominum lucri faciendi sive laudis assequendae causa omni ratione delectare studeat, cur is tandem campum tam sterilem quasi et infecundum elegit, ubi in foederis verbis haerere cogeretur neque ei suarum ipsius sententiarum copiam ostendere vel tanta in dicendo pompa uti liceret, ut gloriam inde sibi parare vel sperare posset, omnes homines hanc orationem admiraturos et empturos esse, quasi esset Demosthenica.

[1]) Velut Windelius l. l. p. 34. 35.

[2]) τὸ συμφέρον οἱ καιροί non καιροί τινες συμφέρον τι. Articulo igitur utens, significat, illas res legentibus iam notas esse.

[3]) Nobis autem de alio genere falsariorum cogitantibus licet putare, aliam praeterea auctoris causam fuisse; qua de re vid. infr. p. 50, 2.

Praeterea cur rhetor, si hunc campum elegerat, floribus descriptionum omni ratione ornare recusavit? Is animo fingens, cives contra Alexandrum oratione excitandos esse, et Demosthenis orationem Philippicam tertiam fortasse imitans, sine dubio quaecunque ad hoc consequendum idonea erant et accommodata, non solum ius sed etiam occasionem et fructus belli copiosissime persecutus esset summoque colore illustrasset. Hic enim erat campus, ubi ostendere posset, quanta uteretur in rebus describendis arte.

Cur denique rhetor rem ea ratione, quam supra exposuimus, tractandam esse existimaret? Cur totam orationem quasi velamine, ut iam scholiastes vidit[1]), circumdaret? Atque hic concedo, illud, quod per totam orationem schema, quod rhetorici vocant ἐναντίον usurpatum est,[2]) ita explicari posse, ut de rhetoribus cogitemus, in quorum scholis saepe ad talia schemata orationes conscriptae sunt, sed quod in exitu orationis scriptum legitur, illam sententiam conditionalem ἐαν οὖν κελεύητε, ita expedire non poteris. Haec enim sententia significat, ut Grotius argute perspexit,[3]) scriptorem vidisse, fieri non posse, ut aperte bellum postularet.

Nos vero hoc quoque, ut supra[4]) promisimus, explicare possumus, quomodo falsarius adductus sit, ut rem ita, ut diximus, tractaret i. e. hoc velamine et in demonstrando et in postulando uteretur. Is enim, eorum hominum, quibus scripsit, aequalis, hac cautione et prudentia eo utitur consilio, ut impediat, quominus aequales (de posteris enim non cogitabat), sentiant, hanc orationem Athenis non habitam esse. Qua de re infra[5]) uberius disputabimus. Videmus autem ne hic quidem de rhetore cogitandum esse.

Praeterea Windelius mirum esse dicit, quod auctor ora-

[1]) p. 354, 3: ὅλον δὲ τὸ εἶδος τοῦ λόγου ὑπὸ κάλυμμά τι κεῖται.

[2]) Windel. l. l. p. 37.

[3]) Is quidem putans, orationem habitam esse, A formal, inquit, motion for declaring war would have brought upon the mover a prosecution under the Graphê Paranomôn l. l. p. 346.

[4]) pp. 42. 43.

[5]) pp. 48. 49.

tionis Thebarum exitium non commemoravit. Supra[1]) autem demonstrasse nobis videmur, omnino fieri non potuisse, ut illius urbis deletae scriptor huius orationis, quae esset de iure solo, mentionem faceret. Rhetori vero crimina, quibus Alexandrum peteret, fingenti id primum sine dubio in mentem venire oportebat quod, ut Windelius[2]) ipse dicit, oratores scriptoresque saepissime decantaverant, illud famosum Thebarum exitium. Quae igitur Windelio explicari non posse videntur, si putemus, orationem habitam esse, ea multo minus intellegi possunt, si existimamus, eam a rhetore conscriptam esse.

Ergo[3]) ab falsario alius generis vel — id quod idem est — a falsario quodam alio consilio composita est.

Id iam vidimus,[4]) scriptorem eodem tempore vixisse, ad quod res in oratione commemoratae spectant. Etenim si ita statuimus, facile intelleguntur ea, quae, si de alio tempore cogitamus, omnino explicari non possunt.

Praeterea videtur sui ipsius temporis homines decipere voluisse. Nisi enim hoc existimamus, exponere vix possumus, cur scriptor illa cum per totam orationem tum in postulando (ἐὰν οὖν κελεύητε, γράψω . . . . . .) cautione prudentiaque usus sit.[5])

Decipere autem non potuit Athenienses; neque sperare potuit, se Atheniensibus persuasurum esse, hanc orationem in Atheniensium contione tum habitam esse. Ergo non Athenienses, sed ceteros Graecos fallere voluit.

Neque, ut rhetores solebant, personam loquentis spectabat i. e. non eo consilio scripsit, ut legentibus persuaderet orationem habitam esse a praeclarissimo oratore quodam (Demostheni certe orationem ascribi noluit[6]), sed illud maxime sequebatur, ut Athenis habitam esse orationem indicaret. Saepe

[1]) pp. 6. 7.

[2]) l. l. pp. 33. 34.

[3]) pp. 40. 41.

[4]) pp. 42 seqq.

[5]) pp. 44. 49.

[6]) Significat (§ 30.), oratorem esse senem. Quod in Demosthenem, virum tum quinquaginta fere annorum, non quadrat.

enim dicit ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, praeterea § 28 non satis habet dicere ἐνταῦθα, sed Ἀθήνησι, optime autem et callidissime eodem consilio utenti ei contigit, ut haec verba orationi insereret[1]: ἀναγκάζουσι [Macedonum amici] ὑμᾶς ὥσπερ ἐν Ἀβδηρίταις ἢ Μαρωνείταις ἀλλ' οὐκ ἐν Ἀθηναίοις πολιτευόμενοι; neque, ut unusquisque legentium penitus cognosceret, quo loco oratio habita esset, praetermisit[2]) aperte dicere, in contione hoc factum esse: Macedonum amici παρακρούονται τοὺς παρέργως ἐνταυθὶ ἀλλ' οὐκ ἐξεταστικῶς ἐκκλησιάζοντας.

Ita igitur invenimus, falsarium, qui hominum, quos oratione scripta decipere volebat, aequalis esset, non Atheniensibus, sed ceteris Graecis persuadere voluisse, talem orationem Athenis tum habitam esse.

Quod his praeterea argumentis confirmatur:

Atque primum quidem illa loci, ubi oratio habita sit, commemoratio accurata nimisque saepe repetita eam suspicionem movet, ut orationem Athenis non habitam esse existimemus Atque haec suspicio valde augetur, si orationes Athenis habitas contemplamur. Si enim in orationibus Demosthenicis I.—III. verba ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι omissa essent, homines rerum antiquarum ignari nescirent, ubi hae orationes habitae essent; nusquam enim nomen urbis vel conventus commemoratur; sunt autem triginta octo paginae: in huius vero orationis octo paginis ter is locus designatur, ubi oratio habita sit. Quod vix casu accidit, sed veri simillimum est, id factum esse nimio studio falsarii id agentis, ut legentibus saepissime dicat, ubi contionatus sit, praesertim quum, si haec oratio ad aequales docendos et incitandos ficta est, de alio consilio falsarii cogitari non possit, nisi eum imprimis id ostendere voluisse, tales orationes habitas atque ita civium animos concitatos esse non id quidem Messenae vel Corinthi vel Megaris, sed in illa potentissima urbe, quam ducem omnes fere alii Graeci sequi solerent. Haec igitur efficiunt, ut fidem derogemus auctori, quippe qui nimis saepe affirmet, se reapse Athenis verba fecisse, et confirmant nostram sententiam, qui

[1]) § 23, p. 218.
[2]) § 13, p. 215.

putemus orationem conscriptam esse ratione habita ceterorum Graecorum imprimisque eorum, qui rebus a Macedonibus gestis violati essent et plerique amicis Macedonum parerent[1]).

Praeterea enim scriptor res affert a Macedonibus gestas, quarum maiore parte minus Athenienses quam alios Graecos violaverunt: Messenios enim filiis Philiadae reductis offenderant, Achaeis libertatem ademerant,[2]) imprimis Pellenensibus tyrannum Chaeronem praefecerant, Sicyonem reduxerant istum puerorum magistrum, alios in alias urbes restituerant, nonnullae urbes a custodibus pacis et synedrio[3]), Macedonum amicis, violatae sunt. Atque auctor non solum illis demonstrat, quanta iniuria ipsi affecti sint, sed etiam identidem repetit, omnes Graecos his rebus violatos et foedere obstrictos esse, ut bellum Macedonibus inferrent. Quod his quidem locis[4]) facere debe-

[1]) Suspicionem praeterea excitant verba τῷ προειρημένῳ verbis τῷ λιμένι addita. Ei enim, qui reapse Athenis contionatur, supervacanea sunt (§ 28).

[2]) dicit ἐδημοκρατοῦντο, non dicit: δημοκρατοῦνται § 10. p. 214.

[3]) § 15. p. 215.

[4]) Jis locis, ubi res contra Athenienses ipsos a Macedonibus gestae commemorantur neque opus erat ad Athenienses irritandos dicere, his rebus gestis ceteros Graecos laesos esse, nihilominus hoc significavit: Foedus enim, quod antea iam saepissime (septies et vicies) commemoraverat et plerumque verbis simplicibus ὅρκοι, συνθῆκαι indicaverat, his ipsis locis etiam atque etiam copiose vocat τῶν κοινῇ ὁμολογηθέντων (§ 19), τὰς κοινὰς ὁμολογίας (§ 22), τὰς κοινὰς ἡμῖν πρὸς αὐτοὺς ὁμολογίας (§ 26.), τῶν κοινῶν δογμάτων (§ 26.), ἐν ταῖς κοιναῖς ὁμολογίαις (§ 28.), ταῖς κοιναῖς ὁμολογίαις (§ 29.) i. e. foedus omnibus Graecis commune. Atque usus verbi κοινός non propterea mirus est, quod verbis ὁμολογίαι, δόγματα, similibus additur, (publice enim foedus ita appellabatur), sed propterea, quod his ipsis locis additur, ubi diversis de causis et ei, qui revera Athenis contionatur vel contionaturus est, supervacaneum et ei, qui ceteros Graecos docere vult, maxime necessarium est, (ad ceteros enim Graecos has quoque Macedonum res contra foedus gestas pertinere vix alia ratione illos docere poterat, si caute agere neque eam suspicionem excitare volebat, ut illi putarent, hanc orationem non habitam, sed ex usu legentium compositam esse) atque hic etiam atque etiam additur, aliis autem locis (in primis partibus orationis), ubi Athenis contionanti non supervacaneum est, multo minus usurpatur.

bat is, qui demonstrare volebat, Athenienses ipsos violatos esse et ad bellum gerendum obstrictos. Nihilominus id constat, auctorem hac demonstrandi ratione simplicissime et facillime id effecisse, ut oratione, quam Athenis habitam esse simulabat, reapse omnes ad bellum incitaret Graecos.

Ad hos igitur imprimisque ad urbes eorum, qui illis rebus a Macedonibus laesi erant et a tyrannis vel copiis cogebantur Alexandrum sequi, missa sunt orationis exemplaria, ut ii et docerentur et incitarentur[1]), priusquam occasio belli suscipiendi (οἱ καιροί) praeteriisset. Referenda igitur est oratio in numerum libellorum, qui „flugschriften" vocantur.

Huc accedit, quod ita facillime explicatur, quomodo illa orationis vitia orta sint, quae viri docti[2]) vituperaverunt: etiam atque etiam scriptor, qui aliis rebus bonum se praestet, iisdem verbis atque iisdem sententiarum formis utitur, enuntiata laxe leviterque inter se coniungit, orationis ornatum figurasque neglegit, nonnullae sententiae obscurae sunt difficilesque ad intellegendum. Quae omnia facillime explicabimus, si eiusmodi scriptori orationem tribuerimus. Ex natura enim illorum libellorum sequitur celerrime eos esse conscribendos, antequam occasio belli gerendi transeat, celerrime numerum eorum esse augendum et exemplaria in omnes partes mittenda; atque huic falsario praeterea summa cautione utendum erat, ne quisquam orationem non habitam esse intellegeret. Cui autem celerrime scribendum imprimisque id agendum erat, ne in suspicionem veniret, ei tempus deerat ad illas quoque res, quae ad orationem variandam et ornandam pertinent, respiciendas. Atque illam nonnullarum sententiarum obscuritatem ille non vidit, quoniam orationem conscriptam sine mora misit neque retractare potuit.

Supra[3]) autem iam exposuimus, scriptorem in iis, quae

---

[1]) Propterea illas, copias, quae intra eorum moenia erant, bis vocat τὰ τοῦ τυράννου στρατόπεδα, et urbes eorum Macedonicas appellat, vid. supr. p. 6.

[2]) Uberrime Windelius l. l. pp. 5—14, 16, 18; vid. supr. pp. 95. 97.

[3]) pp. 44. 45.

postulat, ea prudentia uti, ut et foedus Philippo auctore post pugnam Chaeronensem inter Graecos factum servari velit neque aperte bellum postulet (ἐὰν οὖν κελεύητε). Utrumque nobis non mirum est. Etenim si postulavisset, ut foedus tolleretur, ipse vinculum, quo Athenienses cum omnibus[1]) ceteris Graecis iam revera coniuncti erant, divellere voluisset; quo disciso fundamentum quasi iustum Atheniensibus ceterisque Graecis deesset, quo nixi bellum Macedonibus iure inferrent.

Quod autem illam sententiam ἐὰν οὖν κελεύητε falsarius addidit, inde apparet, eum summa calliditate fuisse. Etenim si haec sententia deesset, i. e. si scriptor his verbis usus esset: γράφω, πολεμεῖν, unusquisque legentium intellexisset, aut repulsam tulisse oratorem (si enim potentissimi Athenienses hanc oratoris rogationem probantes Macedonibus bellum indixissent, nuntius de hac re gravissima iam perlatus esset) aut orationem omnino habitam non esse. Utrumque autem prorsus ad irritum redegisset consilium falsarii, quippe qui et simularet animos Atheniensium tam vehementer incitatos esse, ut bellum Macedonibus indicere vix dubitaturi essent, simulatque aliquis rogationem ad eos tulisset, et suspicionem fugere studeret. Quod periculum illa sententia addita et tempore verbi γράφειν mutato evitavit. Jta enim oratio, quae erat publica rogatio, subito redacta est in formam orationis suasoriae (ἐὰν κελεύητε, γράψω πολεμεῖν).

Denique id quoque, quod haec oratio, quamquam neque arte rhetorica insignis est neque antiquitate commendabatur, non interiit, priusquam in canonem Callimacheum velut in portum venisset, facile intellegitur, si eam magno numero exemplarium per varias urbes Graeciae divulgatam esse cogitamus. Auctorem enim propterea numerum exemplarium auxisse, quod istam orationem minime perpolitam et minime ornatam in numero artificiorum haberet, credibile non est.

Videmus igitur, ea, quae in oratione sint mira, neque ita explicari, ut orationem reapse habitam esse putemus, neque ita, ut de rhetore cogitemus. Omnia vero ita explanantur, ut orationem illo consilio compositam esse existimemus.

---

[1]) praeter Lacedaemonios.

Facta autem est oratio sine dubio eo tempore, quo res in ea commemoratae nos ducunt

i. e.

I post

1. autumnum anni 335. p. 36.
2. ver anni 334. p. 36.
3. annum 334. p. 36.
4. Julium mensem anni 333. p. 35.
5. paullo post Octobrem vel ineuntem Novembrem mensem anni 333. p. 40.

II ante

1. exitum anni 331. p. 28.
2. ver anni 332. i. e. priusquam naves Phoenicum et Cypriorum et Rhodiorum in patriam ab urbium civibus revocatae et cum classe Alexandri apud Tyrum versantis coniunctae essent. Ante id tempus auctor suo iure dicere poterat Atheniensium classem quadringentarum navium non modo superiorem esse classe Persarum mercennariis abductis vehementissime mense Julio 333. imminuta et classe Macedonum Graecorumque, sed etiam solam et sine dubio superiorem (μόνοις ἀναμφισβητήτως). Postquam vero Phoenices et Cyprii et Rhodii classem cum Alexandri navibus coniunxerunt et Alexander duabus classibus in mari uti coepit, Atheniensium classis sola par erat classi Macedonum et Graecorum et Asiaticorum neque vero superior minimeque sine dubio superior vocari poterat; insanus autem legentibus visus esset is, qui haec verba post annum 332 fecisset, ubi Alexander Aegypto occupata totam fere oram maris spectantem in orientem in potestate sua haberet.[1]) Oratio igitur optime quadrat in tempus, quod inter Octobrem anni 333 et ver anni 332 interest.

Compluribus autem locis auctor designat,[2]) amplam esse

---

[1]) Anno 331 Alexander classem in mare Aegaeum misit non propterea, quod ibi classis Persarum esset, sed eo consilio, ut Athenienses contineret et piratas deleret et Cretam expugnaret.

[2]) p. 214 §. 9; p. 220 §. 30. Hac de oratione sententia exposita fieri potest, ut aliam causam praeter illam p. 43 commemoratam coniciamus, qua commotus falsarius hanc occasionem pluribus

ad pugnandum occasionem (οἱ καιροί). Atque ab Aeschine accepimus tres opportunitates Graecis ad deficiendum oblatas esse. Primam enim fuisse dicit tum, quum illa pulcherrima Persarum classis in mare Aegaeum inveheretur (autumno 334. fere). Quam occasionem Graeci omiserunt, quum mercennarii in Phoenicen abducti sunt (mense Julio 333.). Secundam autem fuisse, quum Alexander in Cilicia aegrotaret Persarumque ingens exercitus appropinquaret (mense Octobri 333.). Quae opportunitas Graecis erepta est, quum Alexander Dareum apud Issum praeclare vicit (Novembri 333.). Tertiam denique fuisse, quum Agis, Lacedaemoniorum rex, Macedonibus arma inferret (anno 330 ineunte). Qua privati sunt Athenienses paullo post, quum ille ab Antipatro superatus est.[1])

Quarum occasionum quae intra illos terminos (Octob. 333 — ver 332) Atheniensibus oblata sit, quis est, quin videat? Designat orator verbo οἱ καιροί illam belli inferendi facultatem, cum Demostheni innumerabiles epistulae de Alexandri in Cilicia angustiis afferebantur[2]), Athenienses existimabant, Macedones equitatu Persarum obtritum iri[3]), Persarum naves actuariae centum apud Siphnum insulam haud procul a Graeciae ora sitam in ancoris stabant,[4]) aliae naves a Pharnabazo Halicarnassum missae erant[5]), Aristomenes videtur[6]) iussus esse in Hellespontum navigare, Agis, rex Lacedaemoniorum, ad

---

verbis exponere praetermiserit. Hoc enim silentio effecit, ut oratio non solum ad unius mensis res accommodata esse videretur, quo composita esset, sed diutius valeret et quasi generalem vim haberet. Ipse quidem falsarius hac ratione et sententia in rebus civilibus usus est, ut putaret, peccata Macedonum diuturnitate temporis non deleri sed valere, quoad Graeci in eos non animadvertissent (p. 217. 218 § 22.). Ergo putabat hunc libellum, quippe qui haec peccata ostenderet, Graecis gravissimum maximique momenti esse, quoad in Macedones non consuluissent.

[1]) Aeschines: Ctes. §§. 163, 164, 165.

[2]) Aeschin: Ctes. § 164.

[3]) ibid.

[4]) Arrian. II, 13, 4.

[5]) ibid; proelium tum ibi commissum est, Arrian II, 5, 7.

[6]) Curtius IV, 1, 34.

Pharnabazum venit χρήματά τε αἰτήσων ἐς τὸν πόλεμον καὶ δύναμιν ναυτικήν τε καὶ πεζικὴν ὅσην πλείστην ἀξιώσων, συμπέμψαι οἱ ἐς τὴν Πελοπόννησον, denique cum omnia et in Asia et in mari Aegaeo ad Macedones acerrime impugnandos parabantur. Atque verisimillimum est, altercationes cum in aliis urbibus tum in maritimis graviores factas esse et in nonnullis illa Persarum classe adventante factionem Macedonicam devictam esse (ὑπὸ τῆς τύχης, ut ait auctor[2]), ita ut adversarii (οἱ βουλόμενοι, audi πόλεμον ποιεῖσθαι) principatum ibi tenerent. Quod de Megaris, urbe Atheniensibus finitima, constat. Harpalus enim, Alexandri thesauri custos, qui cum permagna pecunia paullo ante pugnam apud Issum factam ex Alexandri castris fugerat, non Athenas profectus est, quoniam ibi Alexandri assectatores dominari videbat, sed Megara navigavit. Ubi sine dubio Alexandri amici e medio sublati erant (πεπαυμένοι).

Atheniensium vero animi tum non ita commoti erant, ut arma caperent, atque Demosthenes ipse iis suasit, ut ampliorem occasionem exspectarent. Tam acerbae autem orationes, qualem habemus, haud facile tum habitae sunt. Quae si reapse dictae essent, non fuisset, cur hanc orationem componeret falsarius.

Quae quum ita sint, oratio videtur paullo ante[3]) pugnam apud Issum mense Novembri commissam vel ante nuntium de ea Athenas allatum eo consilio composita esse, ut per urbes Graecas, quibus Macedonum amici praeerant, Corinthum, Pellenen, Messenen, alias ad animos civium irritandos divulgaretur.

---

1) Arrian II, 13, 4.

2) p. 218 § 25.

3) Ita igitur illud, quod supra diximus, orationem paullo post Septembrem vel Octobrem mensem anni 333 conscriptam esse (p. 40. ann. 3; p. 50) optime confirmatur.

Vita.

Natus Sandoviae in parva urbe Saxoniae provinciae die XII. Sept. anni 1853, Ferdinandus Gustavus Augustus Leue, patre Carolo et matre Maria, quae gentis Garlipp est, magistris primum scholarum Havelbergensium, tum gymnasii Vitebergensis traditus sum, ubi et fide evangelica et litteris erudirer. Hic testimonio maturitatis ornatus, Octobri anni 1875 numero civium Universitatis Lipsiensis legitime adscriptus sum. Ubi horum virorum doctorum lectiones audivi: Arndt, Brandes, Curtius, Fritzsche, Hildebrandt, Lange, Pückert, Ritschl, Roscher, Seydel, Schuster, Struempell, Voigt, Wolff, Zarncke. Tribus semestribus post ad Universitatem Berolinensem me contuli, ubi horum virorum doctorum lectionibus interfui: Bastian, Curtius, J. G. Droysen, Huebner, Kiepert, Kirchhoff, Muellenhoff, Scherer, Steinthal, de Treitschke, Vahlen, Zeller. Atque Droysenius benigne mihi concessit, ut seminario historico, Huebnerus et Vahlenus, ut exercitationibus philologicis interessem. Quum die XXIII. Mai. anni 1882 testimonium de facultate docendi consecutus essem, collega magistrorum gymnasii Freienwaldensis factus sum. Octobri 1884 Berolinum redii.

Typis expressit Th. Haberlandt, Berolini.